

Google


HD WIDENER
HW RGI3 R


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS



DE

LYCURGO

LUGDUN. — EX TYPIS PITRAT, VIA GENTIL, 4

DE

LYCURGO

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS DISSERUIT

Hippolyte
H. BAZIN


IN ORDINE GRAMMATICES AGREGATUS

PARISIIS

APUD ERNESTUM LEROUX, EDITOREM

28, VIA DICTA BONAPARTEA, 28

MDCCCLXXXV


HARVARD COLLEGE
SEP 28 1895
LIBRARY.

DOCTISSIMO ATQUE HUMANISSIMO VIRO

ÆMILIO BELOT

IN FACULTATE LITTERARUM LUGDUNENSI PROFESSORI

STUDIORUM MEORUM FAUTORI

GRATISSIMI ANIMI PIGNUS

H. BAZIN.

PRÆFATIO

Veterem historiam græcam nunc adhuc novam doctis hominibus materiam tractandam præbere quid mirum? Tot enim deperditis, vel adulteratis exemplaribus græcis, sagacissimum, ad supplendos deficientes auctores, ingenium adhibeat necesse est, qui anteacta sæcula revocare cupit : quæ quum ita sint, vix opus est dicere quantos interdum admiserint errores, qui res potius ex arbitrio suo quam e vera rerum observatione ductas tradiderunt. Maxime omnium Lycurgum eam sortem expertum esse nemo non fateatur, quum de eo diversissima, quin omnino contraria narrata fuerint.

Hæc causa fuit cur nobis in animum venerit veram spartani legislatoris, si possimus, imaginem effingere et lacedæmonii populi origines, quoad licebit, in lucem proferre.

Arduum sane opus, cujus tamen paulum difficultas eo sublevatur quod huic jam rei enodandæ curam adhibuerunt excellentes auctores, ut Grotius, Curtius, multique alii quorum nomina in libelli cursu proferentur; quanquam autem ex his egregia multa desumere quivis possit, nemo, ut mihi videtur, quæstionem totam complexus est, et Lycurgum in mediis illis rebus posuit quæ nobis tantum ad pernoscenda spartani legislatoris instituta conferent.

Hunc equidem virum suscepi illis omnibus exuendum quibus mythicæ potius personæ quam vero homini similis erat. In hoc igitur meo libello remotiorum temporum chronologicæ computationes rursus examinabuntur, et, quod ad Lycurgum attinet, paulum forsan immutabuntur. Rem autem illam tanti operis aggressus, non propriis demum viribus nisus sum, sed doctissimum Grotium adhibui, qui, etsi rem ipse non prorsus viderit, multa tamen nobis argumenta attulit: necnon benignissimo germanæ scholæ apud Romanos directori Helbigio pluribus locis consentire mihi gratulor; ingratum quoque animum manifestarem, nisi publicam laudem tribuerem egregio dilectissimoque magistro Æmilio *Belot*, cujus excellentem doctrinam de priore Græciæ historia in viginti Thucydidis capitibus enarrata, in lugdunensi litterarum Facultate exprompta, diligenter attendendo, multum equidem lucratus sum.

Eorum ergo de vetustissima Græcorum historia

doctrina me eo adduxit ut non jam Lycurgum ducentis post subactam Peloponnesum annis ponerem, sed tum leges dedisse demonstrarem quum, advenientibus Doriensibus, confusis prorsus omnibus rebus, pacem nullus non exoptaret, eoque magis ad novam accipiendam constitutionem propensus esset.

Ea quasi fax est, ut mihi videtur, qua tota illuminatur Lycurgi historia : instituta enim ejus civilia, politica et illa quæ ad vitam privatam pertinent recognoscendo, videbimus nil fere esse, si principium illud admiserimus, de quo rationem reddere, quin imo gratam explicationem afferre non possimus.

Dum autem hæc omnia perlustrabuntur, vix quemquam esse confido qui exprobret si, in tot rebus exponendis, aliquid forsan omissum fuerit. Multa enim consulto neglecta sunt : facile quidem erat cuncta quæ de spartana constitutione dicta fuerant afferre; recessisset autem illud a proposito nostro, qui diximus nullum aliud nobis consilium esse quam verum, quoad poterimus, Lycurgum effingere.

Hoc quoque oro condonetur ut in eventorum nexu, si quis annulus subductus fuerit, eum, prudenter conjectando, restituere liceat. Etsi enim de spartana historia plura scripta fuisse compertum habeam, paucissima illa quidem digna fide ad nos pervenisse, quis neget?

Periit Charonis Lampsaceni liber, qui ceterum nihil amplius quam nomina regum et res sub singulorum

regnis gestas continuisse jure conjicitur. Herodoto, eo quod Spartæ commoratus et veritatis amantissimus erat, magna quidem auctoritas adhibenda; sed pauca de Lycurgo dixit.

Multo minoris fidei Xenophon in suo de *Republica Lacedæmoniorum* libro, ubi potius laudatoris quam accurati scriptoris eum partes agere alias ostendimus.

Rursus in dialogo *de Legibus* præsertim curat Plato ut suas de optima constitutione opiniones confirmet.

Maxime deflenda profecto iis qui spartanis rebus incumbunt Aristotelis *Lacedæmoniorum reipublicæ* jactura est; quod ad propositum nostrum attinet, paulo minus desideranda, quod illa tempestate multum jam desciverant lycurgea instituta. Nec immerito idem Isocrati objiciatur, quem Spartanis infensissimum fuisse nemo ignorat. Nonnihil quidem ad cognoscendum quomodo Peloponnesus subacta fuerit confert Ephorus, sed multæ apud eum fabulæ reperiuntur, quæ sedulo submovendæ sunt; Heraclidis, Dicæarchi, Sosibii Molpidosque, Persæi et Aristoclis, quorum opera tantum ad nos contulissent, vix pauca loca supersunt.

Quam parum cautus accuratusque in enarranda Lycurgi vita Plutarchus fuerit dicere nunc supersedeo: quis nescit enim eum spartano legislatori plura attribuisse quæ multo tardius, tempore Agidis Cleomenisque, excogitata fuerant?

Quæ quum ita sint, ea quæ de Lycurgo attulit Plutarchus in severum judicium vocavimus, magnum

que e recentiorum criticorum operibus fructum percepimus, nec non e proprio fundo plura eruimus, ita ut merito forsan sperare possimus fore ut vera spartani legislatoris imago depingatur, atque illustretur historiæ græcæ pars fere omnium obscurissima.

INDEX LIBRORUM

QUI AD HOC CONFICIENDUM OPUS PRÆCIPUE CONTULERUNT

N. CRAGIUS. . *De Republica Lacedæmoniorum libri IV*, apud P. Santandreanum, 1593.

U. EMMIUS. . . *Græcorum respublicæ*. Lugduni Batavorum, ex off. Elzeviriana, 1632. — *De republica Laconum*, sect. III et IV.

J. MEURSIUS. . *Regnum laconicum, sive de regibus Lacedæmoniorum et subjecta his laconica*, apud GRONOVIUM, *Thesaurus græcarum antiquitatum*, t. V. Lugduni Batavorum, 1699.

— *Miscellanea laconica, sive variarum antiquitatum laconicarum libri IV*, apud GRONOVIUM, *Thesaurus græcarum antiquitatum*, t. V. Lugduni Batavorum, 1699.

MANSO. . . . *Sparta. — Ein Versuch zur Aufklärung der Geschichte und Verfassung dieses Staates*. Leipzig, Dych, 1800, 3 vol.

ZŒGA. . . . Abhandlungen, herausg. von E. WELCKER, Gœttingue, 1817.

HEINEKE . . .	*Homer und Lykurg, oder das Alter der Iliade, und die politische Tendenz ihrer Poesie.* Leipzig, Hartmann, 1833.
SCHŒMANN . .	*Plutarchi Agis et Cleomenes.* Gryphiswaldiæ, E. Mauritius, 1839.
C. F. HERMANN.	*Antiquitatum laconicarum libri quatuor.* Marburgi et Lipsiæ. Elwert, 1841.
USCHOLD . . .	*Ueber die Enstehung der Verfassung der Spartaner.* Amberg, 1843.
C. O. MUELLER.	*Die Dorier*, zweite, nach den Papieren des Verfassers berichtigte und vermehrte Ausgabe von F. W. SCHNEIDEWIN. Breslau, J. Max und Komp, 1844.
GOETTLING . .	*Ueber die vier lykurgischen Rhetren* in *Berichte über die Verhandlungen der königl. sächsischen Akademie der Wissenschaften zu Leipzig.* 1847, fasc. IV, p. 136-158, rursus editum in *Gesammelte Abhandlungen aus dem classischen Alterthume.* (I [1851], p. 317-351).
KOPSTADT. . .	*De rerum laconicarum constitutionis origine et indole.* Gryphiæ, 1849.
E. LERMINIER .	*Histoire des législateurs et des constitutions de la Grèce antique.* Paris, Amyot, 1852.
THIRLWALL . .	*Histoire des origines de la Grèce ancienne,* traduite de l'anglais par A. Joanne. Paris, Paulin et Lechevalier, 1852. (Quod nil aliud est quam Thirlwalli *Historiæ Græcæ* volumen primum.)
BEULÉ. . . .	*Les arts et la poésie à Sparte sous la législation de Lycurgue.* Paris, Didot, 1853, thèse.
BRANDIS . . .	*De temporum græcorum antiquissimorum rationibus.* Bonnæ, ap. Marcum, 1857

SCHŒMANN . . *Antiquités grecques* (1857), traduites de l'allemand par C. Galuski. Paris, Picard, 1884, t. I.

G. GROTE. . . *Histoire de la Grèce, depuis les temps les plus reculés jusqu'à la fin de la génération contemporaine d'Alexandre le Grand*, traduite de l'anglais par DE SADOUS. Paris, Lacroix et Verbœckhoven, 1865 (Plurimum ad propositum nostrum conduxit volumen tertium.)

BIELSCHOWSKI . *De Spartanarum syssitiis*. Dissert. inaug. Vratislaviæ, 1869.

G. FLUEGEL . *Die Quellen in Plutarch's Lykurgos*. Dissert. inaug. Marburg, 1870.

C. TRIEBER. . *Forschungen zur spartanischen Verfassungsgeschichte*. Berlin, Weidmann, 1871.

GILBERT . . . *Studien zur altspartanischen Geschichte*. Gœttingen, Vandenhoeck und Ruprecht, 1872.

H. GELZER . . *Lykurg und die delphische Priesterschaft*, in *Rheinisches Museum*, N. F., t. XXVIII, 1873, p. 1.

— *Die Wanderzüge der lakedämonischen Dorier*, in *Rheinisches Museum*, N. F., t. XXXII, 1877, p. 259.

C. F. HERMANN. *Lehrbuch der griechischen Antiquitäten. — Staatsalterthümer*. Fünfte Auflage neu bearbeitet von Dr F. Bähr und Dr B. Stark. Heidelberg, Mohr, 1875.

G. DUM . . . *Entstehung und Entwicklung des spartanischen Ephorats bis zur Beseitigung desselben durch König Kleomenes III*. Innsbrück, Wagner, 1878.

— *Die spartanischen Königslisten*. Innsbrück, Wagner, 1879.

FUSTEL DE COULANGES. *Étude sur la propriété à Sparte.* (Extrait des *Mémoires de l'Académie des sciences morales et politiques.* Novembre, décembre 1879.)

G. BUESOLT . . *Forschungen zur griechisch. Geschichte.* Erster Theil, Breslau, Kœhner, 1880.

A. BOUCHÉ LECLERCQ . . . *Histoire de la divination dans l'antiquité.* Paris, Leroux, 1880. — (Multum profuit illius operis particula ut illustretur quantum ad instituendam servandamque lycurgeam constitutionem delphicum oraculum contulerit)

É. CURTIUS . . *Histoire grecque, traduite de l'allemand sur la cinquième édition par* A. BOUCHÉ-LECLERCQ. Paris, Leroux, 1880. (E secundo præsertim libro *Histoire du Péloponnèse* inscripto fructum percepimus.)

G. GILBERT . . *Handbuch der griechischen Staatsalterthümer.* Erster Band : *Der Staat der Lakedaimonier und der Athener.* Leipzig, Teubner, 1881.

H. K. STEIN . *Kritik der Ueberlieferung über den spartanischen Gesetzgeber Lykurg.* Programm. Glatz, Schirmer, 1882.

W. HELBIG. . *Das homerische Epos aus den Denkmälern erläutert.* Leipzig, Teubner, 1884.

H. HOUSSAYE. . *La loi agraire à Sparte* in *Annuaire de l'Association pour l'encouragement des études grecques.* Paris, 1884.

FR. WINICKER. *Stand der lykurgischen Frage.* (Gymn.-Progr.) Graudenz, 1884.

DE LYCURGO

CAPUT PRIMUM

AN LYCURGUS EXSTITERIT,
VARIÆ QUÆ DE EO EXPROMPTÆ SUNT OPINIONES
EXPONUNTUR.

Quum mihi in animo sit caliginem discutere qua vulgo occæcatur spartani legislatoris figura, hæc jam omnium primum expedienda est quæstio, quæ a recentioribus quibusdam instituta est, scilicet utrum revera exstiterit Lycurgus, an mythica tantum persona sit, feraci Græcorum ingenio excogitata. Sunt enim criticorum nonnulli qui, quum narrata quædam in ejus vita repererint, quæ fabulam potius redoleant quam veram gravibusque testimoniis firmatam historiam, nullum unquam Spartæ Lycurgum fuisse potius contendere maluerint, quam disquirere utrum vera sint an falsa quæ de eo tradantur. Facile tamen quivis suspicari possit quas necessario evenisse ut fuco indu-

ceretur hominis effigies, qui tot ante vixerit sæcula quam quæ memoratu digna essent litteris mandarentur, et qui, ob præclara erga populum beneficia, in admirationem omnium venerit. Si quis autem eo quod Lycurgi figura adulterata sit, eum ne exstitisse quidem contendat, haud absimilis esse mihi videtur historiarum cuidam scriptori, qui, raro numismati offendens, illud ut spurium spernendumque despiciat, eo quod usu attritæ sint cælaturæ insculptæque litteræ difficillime legantur. Cavendum est igitur ne, hoc opus suscipientes, tale vitium admittamus, et priusquam nostram de Lycurgo sententiam ostendamus, necesse est examinentur variæ quas scriptores tum antiqui, tum recentiores de eo ediderint opiniones; deinde quæ unicuique fides adhibenda sit videamus.

Jam primum illud in oculos incurrit, omnes fere ad unum auctores aliquem fuisse Lycurgum persuasum habuisse, contrariamque opinionem his nostris demum temporibus exprom̄ptam esse.

Neque enim Hellanicus, qui spartanas quidem leges Eurystheni Proclique attribuit, merito ab iis in testimonium vocatur qui nullum aïunt fuisse Lycurgum. Hæc, fateor, apud Strabonem [1] legimus : *Hellanicus Eurysthenem et Proclem auctores facit reipublicæ spartanæ. Quem Ephorus increpat, quod, præterita Lycurgi mentione, ejus facta alienis adscripserit.* Grave quidem illud argumentum foret, nisi quis arguere

[1] STRABO, VIII, 5, 5 : Ἑλλάνικος μὲν οὖν Εὐρυσθένη καὶ Προκλέα φησὶ διατάξαι τὴν πολιτείαν· Ἔφορος δ' ἐπιτιμᾷ, φήσας Λυκούργου μὲν αὐτὸν μηδαμοῦ μεμνῆσθαι, τὰ δ' ἐκείνου ἔργα τοῖς μὴ προσήκουσιν ἀνατιθέναι..

posset rem ab Hellanico adeo summatim præstrictam fuisse, ut suas cuique partes facere nequiverit; fortasse enim, si materiam magis explicuisset, quid Eurystheni, quid Lycurgo tribuendum dixisset: sententiam autem suam in hoc libro expressit *Historias* inscripto [1], apud quem de spartanis rebus quasi ex occasione demum agebatur.

Ex hoc videre licet injuria Hellanicum, quemadmodum pro Lycurgo, ita contra eum adhiberi.

Opinionem nostram Herodotus plane confirmat: quamvis enim pauca de Lycurgo referat [2], versus tamen memorat quibus eum in penetrale intrantem salutaverit Pythia et narrat se a Lacedæmoniis audivisse spartanas leges e Creta a Lycurgo allatas esse.

Ne nomen quidem ejus enuntiat Thucydides [3]; sed ejus operæ alludere mihi videtur, quum Spartanos dicit eamdem civitatis temperationem plus quadringentorum annorum spatio intemeratam servavisse.

Multo explicatior Xenophon est in libro illo [4], qui a nonnullis quidem in dubium vocatus est, quem vero Xenophonti assignandum esse alias ostendimus. Eum erravisse, eo quod omnia sine discrimine Spartæ instituta Lycurgo tribuerit, mox compertum habebimus: ejus modo nunc in spartanum legislatorem admirationem consignemus.

Qui lacedæmoniam rempublicam perpendit Aris-

[1] HELLANICUS, *Fr.* 91, ap. C. MUELLERUM. *Fragm. hist. græc.*, t. I, p. 57.
[2] HERODOTUS. I, 65.
[3] THUCYDIDES, I, 18.
[4] XEN., *Resp. Laced.*, X, 8.

toteles, Lycurgum dicit, quum multa ad Spartæ prosperitatem contulisse, tum nonnulla maximi momenti neglexisse[1].

De Lycurgi vita multa apud Strabonem[2] enarrat Ephorus: eum in Cretam abiisse, ibi cum Thalete versatum esse, Ægyptum adiisse Homerumque convenisse, tum, reversum in patriam, Delphos profectum esse, unde mandata qualia Cretensibus Minos Lacedæmoniis attulerit.

Ex his ab Ephoro allatis narrationibus ingentem fructum percepit Plutarchus[3], nec illius res tantum, sed verba exscripsit[4]; multa quoque hinc illinc e variis auctoribus desumpsit[5], sed ita parum curavit utrum ea vera an falsa essent, ut nulla fere fides illius operi adhibenda esse videatur; quin, apertissime, post Grotium[6], ostendit Hermannus Peter[7], nec indignis nisus argumentis, illam Lycurgi vitam Plutarchum duxisse ex uno quolibet libellorum illorum qui, Agide et Cleomene regnantibus, confecti fuerant, ut historia temporum priorum proposita sua reges illi fulcire possent.

Quæ quum ita sint, quid mirum nos ea quæ narrat

[1] ARISTOT., *Polit.*, II, 6, 5. — Cf. IV, 13, 12. (alias, VII, 13, 12).
[2] STRABO, X, 4, 9.
[3] PLUT., *Lycurg.*, passim.
[4] C. TRIEBER, *Forschungen zur spartanischen Verfassungsgeschichte*, p. 66, sqq.
[5] GILBERT, *Studien zur altspartanischen Geschichte*, p. 100, sqq. — Cf. FLUEGEL, *Die Quellen in Plutarch's Lykurgos*. Diss. inaug. Marburg, 1870.
[6] GROTE, *History of Greece*, transl. de Sadous, t. III, p. 325.
[7] HERMANN PETER, *Der historische Werth von Plutarch's Biographie des Lyk.* in *Rheinisch. Museum*. N. F., t. XXII, 1867, p. 62.

Plutarchus cautissime tantum accipere, nullique fere rei ab eo memoratæ, fidem adhibere, nisi res alio certiore testimonio confirmetur?

Nec multo majoris æstimandi sunt septimi decimi vel octavi decimi sæculi historiarum scriptores, qui, quum nihil nisi sapientiæ exempla apud veteres quærerent, quæ æqualibus suis imitanda proponere possent, quid veri esset, quid non dijudicare parum curabant, ita ut omnia præclare acta aut dicta, quæ de Lycurgo nostro relata sunt, æque exciperent, nedum vocaretur ipse in dubium. Quare parum nobis credendum est optimo illi viro, cujus nomen nunc quoque omnibus reverentiæ est, Rollinum dico, qui Spartæ legislatorem ad juvenum mentes erigendas adhibebat; eruditissimus sane erat Bartholomæus ille qui Anacharseos peregrinationem enarravit, ingeniosam illam fabulam quo nihil aptius est ad delectationem lectoris. Sed quum nimio veterum amore arderet, persuasumque haberet nil mali in eorum rebus publicis reperiri posse, multos inde admisit errores, parumque ad firmandam causam nostram pertinent ea quæ ipse, et qui eadem disciplina imbuuntur auctores, de Lycurgo exposuerunt.

Ecce autem venit tempus quo illustris ille Wolfius, Iliadem Odysseamque perscrutatus, non modo poemata illa ab uno eodemque homine facta fuisse negabat, sed nullum omnino esse Homerum contendebat. Quam viam secuti, multi Germanorum præsertim critici (Francogalli enim sæpius παράδοξα illa respuunt), Lycurgum, nostrum in litem vocaverunt illumque ne exsti-

tisse quidem contenderunt : primi fuerunt Zœga[1] et Uscholdus[2] qui Lycurgum mythicam tantum personam esse asseveraverint. Quorum sententiam refutavit Boeckhius[3].

Nil certi de spartano legislatore quemquam reperire posse, si modo vitam ejus attente examinaverit, affirmat Müllerus[4] in egregio illo libro qui ad Dorienses cognoscendos tantum contulit. Esto. Minime vero inde sequitur nullum unquam fuisse Lycurgum. Errat igitur noster, quum, alterum volumen exorsus, dicit[5] : *Lycurgum de quo utrum fuerit, an non fuerit supra disputatum est, hac sola re eum nil nisi mythicam personam esse apparet, quod fanum habebat et annua sacrificia.*

Hanc a Müllero apertam viam alii brevi auctores ingressi sunt, e quibus H. Gelzerus[6], qui Lycurgum negat veræ personæ nomen esse, sed hieraticum potius titulum esse putat, quo sacerdotalis cujusdam collegii opera designata fuerit. Hi sunt sacerdotes, inquit, qui dei delphici virtute, Spartæ discordias sedaverunt, eique πολιτείαν illam dederunt quam mirari solemus. Quin imo, singula quæ de spartano legislatore traduntur collegit Gelzerus et *Lycurgidarum* omnium

[1] Zœga, Abandl. herausg. v. E. Welcker. Göttl., 1817.

[2] Uschold, *Ueber die Entstehung der Verfassung der Spartaner.* Amberg, 1843.

[3] Boeckh, *Abhandl. der Königl. Akad. von Berlin,* 1856, p. 67.

[4] O. Mueller, *Die Dorier.* Zweite nach den Papieren des Verfassers berichtigte Ausgabe von Schneidewin. Breslau, 1844, t. I, p. 137.

[5] Mueller, *Op. cit.*, vol. II, p. 11.

[6] H. Gelzer, *Lykurg und die delphische Priesterschaft,* in *Rheinisches Museum.* N. F., t. XXVIII, 1873, p. 50.

seriem profert, qui unius Lycurgi nomine vulgo comprehenduntur.

Etsi nitidior sit hæc opinio quam firmior, ea est tamen cui nonnihil veri exstet; illud expedire, atque in lucem proferre jamjam conabimur : minime dubium est enim delphicum oraculum et sacerdotalem ejus auctoritatem magnopere ad sedandos regendosque Lacedæmonios pertinuisse; nescivit vero Gelzerus sententiæ suæ modum mensuramque adhibere, Wolfiumque ipse quoque imitatus, quemadmodum ille *Homeridas* in Homeri locum substituerat, ita pro Lycurgo *Lycurgidas* Spartæ leges edentes fecit.

Ea mirabilis inauditaque hactenus opinio, nihilominus ab eruditis quibusdam accepta est viris, qui eam novis corroborare argumentis conati sunt.

Triebero scilicet, qui nonnullis spartanæ historiæ obscuris locis lumen prætulit, Lycurgus nil aliud est nisi Apollinis cognomen, qui in *Lycia*, ut radios solis emittens, colitur[1]; quod regnum Lycurgi nono mense desiverit, significetur evanescere solem, quum ver æstasque, adveniente hieme, desinunt, et, quemadmodum in cæruleos fluctus occidit Lycius Apollo (Λύκειος), ita in mare conjectos ab amicis fuisse legislatoris cineres vulgo creditur; nec aliter Eunomi, Lycurgi patris, filiique ejus Eucosmi nomina interpretatur Trieberus.

Haud absimilem profert Gilbertus[2] opinionem, affir-

[1] Trieber, *Forschungen zur spartanischen Verfassungsgeschichte*. Berlin, 1871, p. 77.

[2] Gilbert, *Studien zur altspartanischen Geschichte*. Göttingen, 1872, p. 80, et *Handbuch der griechischen Staatsalterthümer*. Leipzig, 1881, p. 14.

matque se in exponenda spartana republica ne unam quidem reperisse legem quæ proprie Lycurgo tribuenda sit; quare ullum unquam hujus nominis virum exstitisse negat.

A recentioribus auctoribus hæc, ob ipsam insolentiam, opinio accepta est, aliquotque annos nullum fuisse Lycurgum persuasum habuerunt plerique historiarum scriptores. Postquam autem sedulius res perpensa fuit et quid allatæ rationes valerent melius consideratum, sanius de Lycurgo factum est judicium et argumenta quæ contra eum allata fuerant, multo minus ad probandum firma esse visa sunt. Jam omnium primum eorum examinemus sententiam, qui Lycurgum heroïbus tanquam Herculi, Thesei, Castori Pollucique annumerabant, eo quod fanum ei voveretur. De facto convenit: a pluribus enim relatum est testibus quam ut infitias eamus, ab Aristotele[1] scilicet, ab Herodoto[2], Ephoroque[3]; imo refert Pausanias[4] se, dum Spartæ versaretur, hoc templum vidisse, et nonnullæ nunc etiam laconicæ servantur inscriptiones ubi hæc insculpta sunt verba : *σύνδικος Θεοῦ Λυκούργου*[5], *ἐπιμελητὴς Θεοῦ Λυκούργου*[6], *ἐξηγητὴς τῶν Λυκουργείων*[7]. Quin etiam annua ei sacrificia fieri apud Plutarchum invenimus[8].

1 Apud Plut. *Lycurg.*, XXXI, 4.
2 Herodotus, I, 66.
3 Ephorus, apud Strabonem, VIII, 5, 5.
4 Pausanias, III, 16, 6.
5 *Corp. Inscr. Græc.*, no 1256.
6 *Ibid.*, no 1341. — Cf. 1362.
7 *Ibid.*, no 1364 b.
8 Plut. *Lycurg.*, XXXI, 4.

Esto. Quid autem hæc omnia ad rem? Nonne propter sapientiam Spartæ sacellum habebat Chilo[1] ille, qui ephororum potestatem adeo auxit, ut regium imperium primum exæquaverit et mox superaverit? Quis ignorat in honorem Leonidæ, ob immortale apud Thermopylas facinus, certamina quotannis celebrata fuisse[2]? Quid plura? Nonne ab Amphipolitanis colebatur annuis sacrificiis Brasidas ille, cujus acutum vividumque sermonem reddidit et præclara facta enarravit Thucydides[3]? Nullius igitur momenti hoc tam sæpe objectum, nec majoris pretii illud quod opposuerunt nonnulli, Lycurgi nomen interpretando.

Qui enim antiquitatis arcanis explicandis operam dederunt, historica nomina a mythicis nominibus ita distinguunt, ut illa fortuito quodam casu conflentur, nec ullo modo cum vita vel actis designati hominis concinnentur; hæc vero proposito aptissime hæreant et cum personarum indole vel rebus gestis conjuncta, partem quodammodo necessariam totius fabulæ efficiant[4]. Quam Lycurgo nomini significationem quidam critici assignaverint summatim jam diximus : explicat Gilbertus[5] Λυκοῦργον vel Λυκόεργον tantum cum Λύκειος concinere, quantum quem legimus apud Homerum Ἑκάεργος cum Ἕκατος concinit. Verba autem illa Apollinem designant, qui eo *Lycii* nomine Spartæ invoca-

[1] Pausanias, III, 16, 4.
[2] Pausanias, III, 14, 1.
[3] Thucydides, V, 11.
[4] A. Kopstadt, *De rerum laconicarum constitutionis origine et indole*. Gryphiæ, 1849, p. 3.
[5] Gilbert, *Studien zur altspartanischen Geschichte*, p. 118.

batur[1]; nec immerito illæ Phœbo laudes tribuebantur, qui, cruentis sacrificiis sublatis, lenitis moribus, de Doriensibus propter beneficia optime meritus est. At, dicet aliquis, unde fit ut hæc a Phœbo concessa instituta posterius homini adscripta fuerint? Quod, inquit, spartani reges, quum genus suum honestare cuperent, Lycurgum Apollinem inter avos adnumeraverunt, non ita tamen ut ab eo recta linea originem ducerent, sed ut ipsi quasi divinitus collustrari viderentur. Quamobrem habetur Lycurgus Charilai tantum avunculus[2], filioque Eucosmo[3] vel Antioro[4] mortuo, soboles ejus exstinguitur.

Ingeniosa quidem opinio, sed adeo infirmis nititur argumentis, ut Gilbertus ipse viderit et veniam ob conjecturas petiverit[5]: *Habes meam*, inquit, *de Lycurgi legislatione sententiam; hujusmodi vero quæstiones rarissime expediuntur, quum pauci vel illud adipiscantur ut probabilia sequantur.*

Ne hanc quidem laudem Gilberto tribuimus, qui eumdem atque Müllerus admisit errorem, nec vidit quantam Sparta a cæteris urbibus, vel doriensibus, dissimilitudinem habeat! Hic enim, in suo cæteroquin excellenti *de Doriensibus* libro, contendit lycurgeas leges nihil aliud esse quam primitiva Doriensium instituta; itaque tribus illis nominibus, scilicet *legibus*

[1] Duos vide ALCMANIS locos apud T. BERGK, *Poetæ lyrici græci*, p. 648, fr. 68; p. 650, fr. 79.
[2] PLUT., *Lyc.*, III, 5.
[3] PAUSANIAS, III, 16, 6.
[4] PLUT., *Lyc.*, XXXI, 7.
[5] GILBERT, *Studien zur altspartanischen Geschichte*, p. 120.

doricis, *laconicis* vel *lycurgeis*, nullo discrimine facto, utitur.

Eo profecto adductus est Müllerus, quia, a scriptoribus illis, qui Plutarchi vestigiis institerunt, vulgo creditur a Lycurgo sancita fuisse multa, quæ ante eum jam exstitisse pro certo habere possimus. Errant enim qui putant reges, senatum, periœcos, hilotas, comitia, omnia denique a Nostro omnino creata, quum ab eo illa ordinata fuisse multo verisimilius sit. Natura autem fit ut contraria contrariis evocentur; quemadmodum igitur majores ab aliis Lycurgo factæ erant partes, ita eum alii pro nihilo duxerunt, omninoque abolere conati sunt. Adeo difficile est, vitium fugiendo, a contrario vitio abstinere.

Mihi autem in animo est suum cuique tribuere et quid in lycurgea constitutione peculiare sit designare. Jam nunc tamen affirmare possumus Spartæ leges legibus Corinthi, Megaræ, Sicyonæ aliarumve doriensium civitatum non similes esse. Hoc enim compertum habebit quicumque veterum auctorum libros tantisper volutaverit, consideraveritque non fieri potuisse ut fortuito quodam casu Spartani per quatuor sæcula legibus illis severissimis uterentur et omnia naturæ humanæ jura ita reipublicæ condonarent, dum multum aberant vicinæ gentes quin austeram illam vitam agerent. Quare veteres fere omnes auctores recentiorumque excellentissimi C. F. Hermannus[1], A. Kopstadtus[2],

[1] Hermann, *Lehrbuch der griech. Antiquitäten. — Staatsalterthümer*. Freiburg, 1875.

[2] Kopstadt, *De rer. laconicarum origine et indole*. Gryphiæ, 1849.

G. Grotius [1], E. Curtius, ut præcipuos tantum nominem, Lycurgum quemdam exstitisse, nulloque modo mythicam [2] tantum personam esse contenderunt.

Hæ sunt præcipuæ criticorum opiniones; illas ordine enarratas facile reperire est in nuper edito opere « *Stand der lykurgischen Frage* » inscripto [3]. Auctor enim, quemadmodum nil novi de se ad lycurgeam quæstionem illustrandam afferre profitetur, ita quidquid de re dictum fuerit colligendum suscepit. Quæstum equidem ex eo multum fecissem, minusque profecto in percontando hinc illinc insudavissem, nisi propemodo hoc meum opus absolutum fuisset, quum Winickeri libellus apparuit.

[1] Grote, *History of Greece*. Transl. de Sadous. Paris, 1865.

[2] E. Curtius, *Griechische Geschichte*. Transl. Bouché-Leclercq. Paris, 1881.

[3] Winicker, *Stand der lykurgischen Frage*. Gymn.-Progr. Graudenz, 1884.

CAPUT SECUNDUM

QUAM LONGE INTER SE AUCTORES DE TEMPORE QUO LYCURGUS VIXERIT, OMNINOQUE DE LYCURGI VITA, DISSENTIANT

Quum e priore capite aliquem fuisse Lycurgum consequi videatur, restat ut ante omnia quæ veteres de ejus ætate exprompserint examinemus.

Illud enim operæ pretium erit, quanquam rem pro peculiari parte nondum tractare suscipiemus et supersedebimus propriam nostram opinionem proferre. Si quis autem miratur quod tantum ibidem immoremur, consideret maximi ad propositum nostrum momenti esse accurate tempus quo vixerit Lycurgus definire, quum necesse sit quem quis effingere cupit suo loco reponat et in mediis illis rebus restituat ubi ingenii vires exercuerit ; qua cura neglecta, maxime inter se pugnantia de spartano legislatore protulerunt auctores.

Herodoti testimonium tum magni discriminis, tum antiquissimum est ; qui, quum inquirit unde originem

ceperint Lacedæmoniorum leges, sic pergit[1] : ... *at Lacedæmonii ipsi narrant Lycurgum, quum fuisset tutor filii patris sui Leobotæ, Spartanorum regis, e Creta hæc attulisse.* Leobotas autem vel Labotas tertius post Lycurgum ponitur [2], et, si res ita se haberet, haud procul a temporibus illis distaret quibus fertur Dorienses in Peloponnesum irrupisse. Hæc vero opinio, quum ab ea differat quam apud plerosque auctores invenimus, multum a criticis qui de Lycurgo egerunt impugnata est : ut Cragium [3], Meursiumque [4] omittam, qui Herodotum quod erraret arguerunt, multas apud Joh. Schweighauserum [5] reperias correctiones, quæ de eo loco propositæ sunt.

Illi autem hanc demum ob causam ibi mendum scripturæ exstare asseverabant, quod illud cum ficta Lycurgi quam sibi ipsi finxerant imagine non congruebat.

Hanc vero ratiocinandi viam, erudito parum dignam, rejicimus, integrámque Herodoti servamus scripturam, cujus testem Pausaniam producimus[6]: *Hunc Labotam,* inquit, *Herodotus in historia ubi de Crœso scripsit,*

[1] HERODOTUS, I, 65 : Ὡς δ'αὐτοὶ Λακεδαιμόνιοι λέγουσι, Λυκοῦργον ἐπιτροπεύσαντα Λεωβτεω, ἀδελφιδέου μὲν ἑωυτοῦ, βασιλεύοντος δὲ Σπαρτιητέων, ἐκ Κρήτης ἀγαγέσθαι ταῦτα.

[2] GROTE, *History of Greece*. Transl. de Sadous. t. III, p. 217.

[3] CRAGIUS, *De Lacedæmoniorum republica*, apud GRONOVII *Thesaurum*, t. V, p. 2586.

[4] MEURSIUS, *De regno Lacedæmoniorum*, *Ibid.*, p. 2259.

[5] HERODOT. HALIC., *ad vett. codd. fidem denuo recens., lect. var., contin. interpret. latina, annotat Walcken. et Wesseling aliorumque et suis illustravit* JOH. SCHWEIGHAUSER. Argentor. 1816, t. V, p. 76 et 77.

[6] PAUSANIAS, III, 2, 3 : Τοῦτον τὸν Λαβώταν Ἡρόδοτος ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐς Κροῖσον ὑπὸ Λυκούργου τοῦ θεμένου τοὺς νόμους φησὶν ἐπιτροπευθῆναι παῖδα ὄντα.

in Lycurgi, qui Lacedæmoniis leges tulit, tutela fuisse scribit. Illis ergo verbis eorum evertitur opinio, qui hunc *Historiarum* locum adulteratum esse contendebant.

Non multum ab Herodoto dissentit Xenophon in hoc libello quem, in disceptationem vocatum, nos alias suo restituisse scriptori confidimus. Ille enim, postquam spartanas leges exposuit, adjicit[1] : *Jam eas antiquissimas esse patet; nam Lycurgus temporibus Heraclidarum vixisse perhibetur.* Heraclidæ autem ii erant qui Doriensium duces ad subigendam Peloponnesum fuerant, Temenum dico, Cresphontem, Aristodemumque. Non ignoro quidem Xenophonti peculiares fuisse causas cur spartanas leges, quas nobilitare volebat, ad præteritum, quam maxime posset, retroageret; etiam tamen atque etiam rogo ut animadvertatur eum, tum propemodo cum Herodoto congruere, tum Lycurgum leges ferentem inducere, quo tempore in Laconiam adveniebant Dorienses.

Hoc multum a communi sententia abhorrere compertum equidem habeo : quare mihi non inutile videtur inquirere quomodo vulgata hæc de Lycurgi ætate opinio statuta sit. Eo enim facilius ostendere potero quibus infirmis testimoniis fulciatur fabula quam de eo enarrare solent historici.

Ctesiam Cnidensem juvabat vetera Græcorum acta cum assyriensis imperii, quam ipse narrabat, historia

[1] Xen., *Resp. Laced.*, X, 8 : Ἀλλὰ γὰρ ὅτι μὲν παλαίτατοι οὗτοι οἱ νόμοι εἰσὶ σαφές· ὁ γὰρ Λυκοῦργος κατὰ τοὺς Ἡρακλείδας λέγεται γένεσθαι.

conjungere; quum autem horum eventorum ætas quibusdam certis monumentis definiretur, ingens iis quæ narrabat Ctesias auctoritas adhibita est. Quam contra temeraria judicia protulerit ille, ex his videre dabitur, quæ omnino quidem mythica, profert tamen quasi certissima essent : ... *addit Ctesias* (hæc Eusebii[1] verba sunt) *anno istius dominationis quadragesimo supra sexcentesimum, rege Assyriorum Belimo, Perseum Danaes (filium) centum naves ad illorum regionem appulisse... Imperante apud Assyrios Panya, classem Argonautarum venisse ad Phasim amnem et ad Colchidem Medeam... Mithræi imperium excipiebat successor Teutamus... Agamemnon et Menelaus Mycenæi expeditionem cum Argivis faciebant adversus Ilium urbem, in qua Priamus Phryx militarem præfecturam gerebat...*

Quum Teutami regni aliunde annus prorsus notus sit, pretiosissima forent illa a Ctesiæ tradita, nisi multum infirmaretur ejus judicium, eo quod parem præ se fiduciam ferat, quum de Perseo Medeave loquitur.

Parum illud curaverunt Alexandrini, Ctesiæque omnino suffragati sunt, utque illum, ita Eratosthenem[2] videmus Trojam captam septem et trecentis annis, Lycurgum centum octo annis ante primam Olympiadem ponere.

Hæc est Eratosthenis sententia. De Apollodori

[1] EUSEB. *Chron.* (Armeniac. vers.), edit. Maï, p. 41. — Cf. C. MUELLER, *Ctesiæ fragm.* ad calcem volum. HEROD., p. 40.

[2] CLEM. ALEX. *Strom.*, I, p. 336 B. — Cf. C. MUELLER, *Eratosth. fragm. chron.*, ad calcem volum. HEROD., p. 195.

opinione paulum ambigitur : eum idem sensisse affirmant Porphyrius[1], Plutarchusque[2]; Eusebius[3] contra multo recentiorem dicit ab Apollodoro haberi Lycurgum, qui vigesimo fere Alcamenis anno jura condiderit; hic autem anno DCCLXXXV in solium ascendit.

Sosibius, qui Ptolemæo Soteri æqualis erat, primam Olympiadem anno tricesimo quarto Nicandri ponit, et quum Charilao, pupillo Lycurgi, sexaginta quatuor regni annos attribuat, inde sequitur hujus legislationem in DCCCLXXIV cadere[4].

Cum eo consentit Ephorus, qui, ut refert Strabo[5], Dorienses dicit in Peloponnesum irrupisse, septingentis quinquaginta annis antequam Perinthus obsideretur, Lycurgumque sex ætatibus post Proclem vixisse, id est ad annum circiter DCCCLXXXIV, dummodo solitam ætatum computionem, annos scilicet triginta fere sex adhibeas.

Ibant in eamdem sententiam plures auctores : alludit enim Ephoro Plutarchus[6], quum, expressa opinione Dieuchidæ, qui ad Lycurgum a Procle sex, ab Hercule undecim ætates numerat, τοὺς πλείστους eadem mente esse adjicit[7].

[1] EUSEB. *Chron.*, I, 31. p. 139. —Cf. C. MUELLER, *Fragm. hist. græc.*, t. III, p. 689.
[2] PLUT. *Lyc.*, I, 3.
[3] EUSEB. *Chron.* (Armeniac. vers.), ad ann. 1223. — Cf. (Hieronym. transl.), p. 77, édit. Schœne.
[4] SOSIBIUS, fr. 2, ap. C. MUELLERUM, *Fragm. hist. græc.*, t. II, p. 625.
[5] STRABO, X, 4, 18.
[6] TRIEBER, *Forschungen zur spartan. Geschichte.* Berlin, 1871, p. 48.
[7] PLUT. *Lyc.*, II, 1.

Præcipuos jam nunc lustravimus auctores qui lycurgea tempora ab eversione Trojæ, vel a reditu Heraclidarum computant. Sunt qui aliam adhibeant ratiocinandi viam, et ab ætate Homeri, qui spartani legislatoris æqualis fuerit, hujus ætatem deducere conentur[1].

Pretiosissima quidem illa forent indicia, si certus Homero annus definiri posset. Nil autem magis incertum : nam, præterquam quod nullum unquam fuisse Homerum multi sunt qui nunc contendant, ei a veteribus octo diversissima adscripta sunt tempora, quæ CCCCLXXIV annorum spatio inter se distant[2]: ut Philostratum omittam, qui eum CCCLXXXIII annis ante primam numeratam Olympiadem ponebat, eumdem Crates, eo quod nil in Iliade de Doriensibus in Peloponneso habitantibus reperiebat, ante reditum Heraclidarum vixisse dicebat. Theopompus autem, ut ea inter se maxime discrepantia referam, Homerum lydico regi *Gygæ*, qui ab anno septingentesimo octavo ad annum sexcentesimum octagesimum quintum regnavit, æqualem fuisse contendebat[3].

Ex his apparet nil ad lycurgeam ætatem definiendam proficere quam affinitatem quidam ejus cum Homero commentati sunt.

Nec melius ad rem solvendam profert, quod consue-

[1] Cf. Cic. *Respubl.*, II, 10.

[2] C. Peter, *Zeittafeln der griechischen Geschichte*. Halle, 1877, p. 18.

[3] Theop. ap. Clem. Alex. *Stromat.*, I, p. 327.

tudines fecerit cum Iphito : *Sunt qui*, inquit Plutarchus[1], *Lycurgum Iphiti temporibus claruisse, eumque in olympiacis feriis ordinandis adjuvisse tradant. Eam quidem sententiam sequitur ipse Aristoteles philosophus, indicii loco discum olympicum afferens, in quo nomen Lycurgi incisum adhuc exstet.*

Compertum habeo plures hoc disco disceptationes excitatas esse; non autem hic locus est dijudicandi uter melius rem viderit, Müllerusne[2], qui nullam ait esse causam cur hujus disci fides in dubium vocetur, an Valentinus Rosa[3], qui Grotii Curtiique opinionem secutus, eum ut omnino fictum rejicit : illud nunc modo memoria tenendum, Aristoteli et quibusdam aliis si fidem adhibeas, Lycurgum iisdem temporibus vixisse quibus Iphitus. Nobis igitur videndum num melius Iphiti ætatem quam Homeri definire valeamus. Imo contra, diversissimæ de eo promebantur sententiæ, ut ex hoc primum Pausaniæ loco apparet : *Inscriptio*, inquit[4], *quæ in Olympia est, Iphitum testatur Hæmonis filium esse; Græcorum vero plerique non Hæmonis eum sed Praxonidæ filium dixere; prisca Eleorum monumenta ad cognominem patrem referunt Iphitum.*

[1] Plut. *Lyc.*, I, 2: Οἱ μὲν γὰρ Ἰφίτῳ συνακμάσαι καὶ συνδιαθεῖναι τὴν Ὀλυμπιακὴν ἐκεχειρίαν λέγουσιν αὐτόν· ὧν ἐστι καὶ Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος, τεκμήριον προσφέρων τὸν Ὀλυμπίασι δίσκον, ἐν ᾧ τοὔνομα τοῦ Λυκούργου διασώζεται καταγεγραμμένον.

[2] O. Mueller, *Die Dorier*, I, 129, 132.

[3] V. Rose, *Aristot. pseudepigr.*, p. 489.

[4] Pausanias, V, 4, 6 : Τὸν δὲ Ἴφιτον τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐν Ὀλυμπίᾳ φησὶν Αἵμονος παῖδα εἶναι, Ἑλλήνων δὲ οἱ πολλοὶ Πραξωνίδου καὶ οὐχ Αἵμονος εἶναί φασι· τὰ δὲ Ἠλείων γράμματα ἀρχαῖα ἐς πατέρα ὁμώνυμον ἀνῆγε τὸν Ἴφιτον.

Ultimam hanc opinionem ipse amplectitur Pausanias, qui, aliquot interjectis capitibus, victoriam Corœbi illi addicit tempori quo ab Iphito renovati fuerint ludi [1]. Nec non ei assentiuntur plures auctores, Athenæus [2] scilicet, Thrasyllus [3], Solinus [4], Eusebiusque [5], quorum locos citatos apud jam laudatum Gelzeri [6] libellum reperias.

Sunt vero qui ab hac opinione multum dissentiant auctores, e quibus Aristodemus Eleus, Aristarchi discipulus, olympicorum ludorum exordium XXVII Olympiadas ante Corœbum [7] ita ponit, ut Iphiti ætas plane congruat cum ea quam Lycurgo tribuit Eratosthenes. Rursus Callimachus [8] Iphitum anno DCCCXXVIII, Velleius [9] anno DCCLXXXIII ponit. Phlegon [10] autem duos fuisse Iphitos contendit, quorum prior a Corœbi Olympiade XXVIII Olympiadibus sejungeretur, alter vero ad annum DCCLVI vixisset, ut e sequenti loco comperire licet. Postquam enim dixit Olympionicarum neminem usque ad quintam Olympiadem coronatum

1 PAUSANIAS, VIII, 26, 4.

2 ATHENÆUS, XIV, p. 635 f.

3 Ap. CLEM. ALEX., *Strom.*, I, p. 1?5. — Cf. C. MUELLER, *Fragm. hist. græc.*, t. III, p. 503.

4 SOLINUS, I, 28, p. 11, édit. Mommsen.

5 EUSEB. *Chron.*, ad. ann., 1240.

6 GELZER, *Lykurg und die delphische Priesterschaft*, in *Rheinisch. Museum*. N. F., t. XXVIII, 1873.

7 ARISTODEMUS ELEUS, ap. C. MUELLERUM, *Fragm. hist. græc*, t III, p. 308.

8 EUSEB. *Chron.*, I, 3?, p. 141, édit. Maï.

9 VELLEIUS PATERCULUS, I, 8, 1.

10 PHLEGON, fr. 1. ap. C. MUELLERUM. *Fragm. hist. græc.*, t. III, p. 603. —Cf. G. F. UNGER, *Ueber die Olympienfeier des Iphitos* (*Philologus*, XLIV, p. 183-185.)

fuisse, hæc adjicit[1] : *Sexta placuit oraculum scitari an victoribus coronæ essent imponendæ, eamque ob rem missus ad fanum dei rex Iphitus responsum detulit, ex oleastri sacro coronam victoribus esse imponendam. Primus coronatus Daulis Messenius Olympiade septima victor.*

Ex his videre licet nullo Iphitum modo conferre ad Lycurgi ætatem definiendam, quum ipsam illius ætatem definire non valeamus. Item demonstravit H. Gelzerus[2] omnino falsum esse illud a quibusdam asseveratum, scilicet Nostrum aliquid commercii cum Terpandro vel Thalete habuisse.

Quæ quum ita sint, quid mirum auctorem quemdam exstitisse, qui duos ejusdem nominis legislatores fuisse contenderit? *Timæus*, dicit Plutarchus[3], *duos diversis temporibus Lycurgos Spartæ fuisse suspicatur, alterique eorum, propter gloriam, alterius quoque acta imputat; priorem alii non diu post Homerum vixisse, alii visum ab eo Homerum dicunt.*

Longius foret diversissimas illas opiniones refutare singulas, omniaque referre quæ de eis collegerint critici. Non possum tamen non dicere excellentes auctores Clintonem, Grotium, Curtiumque historico illi

[1] PHLEGON, *Ibidem* : Τῇ δὲ ἕκτῃ ἔδοξεν αὐτοῖς μαντεύσασθαι, εἰ στέμματα περιθῶσι τοῖς νικῶσι, καὶ πέμπουσι τὸν βασιλέα Ἴφιτον εἰς θεοῦ. Ὁ δὲ θεὸς ἔφη τάδε... τὸν ἄγριον ἀμφιτίθει καρπώδη ἐλαίων... Πρῶτος δ'ἐστεφανώθη Δαϊκλῆς Μεσσήνιος, (ὃς) τῇ ἑβδόμῃ Ὀλυμπιάδι στάδιον ἐνίκα.

[2] H. GELZER, *Op. cit.*, p. 27.

[3] PLUT. *Lyc.*, I, 4 : Τίμαιος δὲ ὑπονοεῖ, δυεῖν ἐν Σπάρτῃ γεγονότων Λυκούργων, οὐ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, τῷ ἑτέρῳ τὰς ἀμφοῖν πράξεις διὰ τὴν δόξαν ἀνακεῖσθαι· καὶ τόν γε πρεσβύτερον οὐ πόῤῥω τῶν Ὁμήρου γεγονέναι χρόνων, ἔνιοι δὲ καὶ κατ' ὄψιν ἐντυχεῖν Ὁμήρῳ. — Cf. CIC. *Brutus*, X, 40.

fidem adhibere, qui, etsi aliquandiu quosdam errores admiserit, multa de prioribus Græciæ temporibus dixit quæ veritatem redolent, eximioque ingenio signantur, Thucydidem dico, apud quem hæc legimus : *Sunt*, ait [1], *anni maxime quadringenti et paulo plures usque ad hujus belli finem, ex quo Spartani eadem reipublicæ forma utuntur*, id est lycurgea constitutione.

Quumque anno CCCCIV ante Christum natum bellum desiverit Peloponnesiacum, inde sequitur, e Thucydidis sententia, legislatorem ad annum circiter DCCCXX jura Lacedæmoniis composuisse.

Hæc sunt veterum de tempore quo Lycurgus vixerit opiniones. Multum quidem lucremur, si inter se Herodotum, Xenophontem, Thucydidemque componere possimus : sed, arduum illud inceptum priusquam suscipiamus, necesse est ea quæ ad genus spartani legislatoris pertinent brevi examinare.

Lycurgum ex Agiadarum familia ortum esse dicunt Herodotus [2] Pausaniasque [3]; cæteri ex Eurypontidis descendentem faciunt. E Dionysio Halicarnassensi [4] Eurypontis filius, e Simonide [5] et Apollodoro [6] nepos

1 THUCYDIDES, I, 18, 1 : Ἔτη γάρ ἐστι μάλιστα τετρακόσια καὶ ὀλίγῳ πλείω ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολέμου ἀφ' οὗ Λακεδαιμόνιοι τῇ αὐτῇ πολιτείᾳ χρῶνται.

2 HERODOTUS, I, 65. — Cf. GELZER, *Lykurg und die delphische Priesterschaft*, p. 9.

3 PAUSANIAS, III, 2, 4.

4 DIONYS. HALIC., *Antiqu. Rom.*, II, 49.

5 Ap. PLUT. *Lyc.*, II, 1. — Cf. *Schol. Plat. Reip.*, X, p. 419, Bekker.

6 APOLL. fr. 29, ap. C. MUELLERUM. *Fragm. hist. græc.*, t. III, p. 609.

evadit; Ephorus[1] et Dieuchidas[2] Eunomi filium, Tzetzes[3] ejusdem eum ponit nepotem.

Has equidem discrepantias parum curo, quum persuasum habeam non fieri posse ut, temporibus illis remotissimis, de tali re quid veri sit, quid non, discernere valeamus. Natura enim evenit ut utraque regum familia sibi vindicaverit hominem qui tanta in patriam admiserit beneficia. Adde quod, ad constitutionem vere lycurgeam effingendam, parum referat e quo genere legislator ortus fuerit.

Pluris forsan intersit dignoscere utrum ab alio populo, an e semetipso Lycurgus leges suas desumpserit. Quanquam enim omnes fere auctores eum in Cretam navigavisse consentiant, illud magis ex attenta ipsius legislationis observatione deductum fuisse contendo, quam e certa qualibet traditione. Alia quoque itinera alias ob causas ab eo inita esse affirmant : eum in Ægyptum contendisse fama erat, eo quod, quemadmodum ibi bellatorum classes a sacerdotum opificumque classibus separabantur, ita Lacedæmone *spartani*, qui rei militari incumbebant, a *periœcis*, qui rebus rusticis operam dabant, sejungebantur, Lycurgumque hanc divisionem ex Ægypto attulisse vulgatum fuerat. Item præposteram traditionem esse qua Lycurgus per Libyam iter fecerit docuit H. Steinius[4], nec non hanc

[1] Ap. STRAB., X, 4, 18.

[2] DIEUCH, fr. 5, ap C. MUELLERUM. *Fragm hist. græc.*, t. IV, p. 389.

[3] TZETZES, *Hist. var. chil*, VIII, 238, 905.

[4] H. STEIN, *Kritik der Ueberlieferung über den spartanischen Gesetzgeber Lykurg*. Glatz, 1882, p. 10.

ob causam ejus ad Chium navigationem excogitatam fuisse, quod ibi Lycurgus Homerum convenerit, cujus carminibus, primum Lacedæmonem asportatis, recentiores superbiebant Spartani.

Multo adhuc inaniores inutilioresque mihi videntur disquisitiones, quæ ad definiendum momentum quo Lycurgus *rhetras* tulerit pertinent. Quid enim nostra refert utrum, dum Charilai tutor esset, an ipso regnante Charilao, legislationem instituerit? Nec magis inquirere curabimus quo, legibus sancitis, iter fecerit, nec ubi supremum diem obierit, quum easdem urbes ejus sepulcro gloriari videamus, quæ se ab eo, antequam tanti nominis esset, visitatas fuisse contendebant.

Hæc igitur omnia quin in fabularum numero reponenda sint nemo nunc dubitat. Quæ quum ita sint, quid mirum ficta commenticiaque nomina personis adscripta, fuisse quæ cum Lycurgo sæpe congressæ fuerant? Ita Charillus vel Charilaus *populi lætitia*, Labotas *populorum pastor*, Eunomus *justus*, Eucosmus *sapienter ordinatus*, Alcander *vir fortis* significat.

Multo majoris quoque erroris ipse Lycurgus causa fuit : templum erat Lacedæmone, dicatum *Minervæ Optileti* vel *Ophtalmiti*, scilicet deæ *cujus acerrima lumina sunt*. Ita in legislatorem suum Spartani animos intendebant, ut Minervam *Ophtalmitin* vel *Optiletin* vocatam fuisse in re et tempore contenderint, ita a Plutarcho[1] enarratis : « *Divites*, inquit,

[1] Plut. *Lyc.*, XI, 1, sq. Διὸ καὶ μάλιστά φασι τῷ Λυκούργῳ πρὸς τοῦτο τὸ πολίτευμα χαλεποὺς γενέσθαι τοὺς εὐπόρους, καὶ συστάντας ἐπ'αὐτὸν

legislatori ob severitatem infensissimi erant. Coitione igitur facta, juvenis quidam, Alcander nomine, non mali alioquin ingenii, sed præcipitis et iracundi, Lycurgum insecutus, respicientis oculum baculo excussit; Lycurgus nihil eo casu fractus... ad memoriam ejus rei sanciendam Minervæ templum posuit nomine Optiletidis; nam oculos Dorienses istius regionis ὀπτίλους *vocant* ».

Hæc dicta sunto, ut videas quomodo vera Lycurgi persona mentitis fictisque fabulis occæcata fuerit. Hoc ceteroquin accidere solet viris fere omnibus qui remotissimo tempore vitam egerunt; illi, ob præclara facta, legitimam quidem laudem adepti, feraci populorum ingenio divino quasi colore inducti sunt : ut Epimenidem Pythagorumque omittam, num Solonem [1] quemdam fuisse quis nunc infitiari audeat ? Huic tamen, ut primus animadvertit doctus H. Steinus [2], eadem fere ac Lycurgo tributa sunt : nonne eum, antequam leges daret, multa suscepisse itinera [3] accepimus, Thaletem Periandrumque [4] convenisse, omni spe ad protegendum delphicum templum enisum esse [5], Cretensem Epime-

ἀθρόους καταβοᾶν καὶ ἀγανακτεῖν... εἷς δέ τις νεανίσκος, ἄλλως μὲν οὐκ ἀφυής, ὀξὺς δὲ καὶ θυμοειδής, Ἄλκανδρος, ἐπικείμενος καὶ διώκων, ἐπιστραφέντος αὐτοῦ τῇ βακτηρίᾳ, πατάξας τὸν ὀφθαλμὸν ἐξέκοψεν. Ὁ μὲν οὖν Λυκοῦργος οὐδὲν ἐνδοὺς πρὸς τὸ πάθος... Τοῦ δὲ πάθους ὑπόμνημα Λυκοῦργος ἱδρύσατο τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν, ἣν Ὀπτιλέτιν προσηγόρευσε· τοὺς γὰρ ὀφθαλμοὺς ὀπτίλους οἱ τῇδε Δωριεῖς καλοῦσιν.

[1] De quo vide Niese, *Zur Geschichte Solon's und seiner Zeit.* De quo ratio redditur in *Revue Histor.*, t. XXVI, 1884, p. 387.

[2] H. Stein., *op. cit.*, p. 14.

[3] Plut. *Solo.*, cap. II.

[4] Idem. *Ibid.*, cap. IV.

[5] Idem. *Ibid.*, cap. XI.

nidem Athenas, ad placandam seditionem, arcessivisse[1]? Haud secus ac Lycurgus, ab oraculo jussus est Solon populo suo leges instituere; quemadmodum illi Charillus, ita huic Pisistratus adversabatur; uterque, ne plura persequar, a civibus impetravit ut legibus fixum annorum numerum obedientes forent[2], multisque rursum peractis itineribus[3], supremum, confectus annis, ignoto loco, diem obiit[4].

Ex his videre licet Lycurgi sicut Solonis imaginem a posteris pigmento fucoque oblitam fuisse, utrique tamen veram personam subesse, quam, quod ad priorem attinet, ex occulto producere atque in lucem proferre mox jam conabimur.

[1] Plut. *Solo.*, XII, 5.
[2] Idem. *Ibid.*, XXV, 5.
[3] Idem. *Ibid.*, cap. XXVI.
[4] Idem. *Ibid*, XXXII, 3.

CAPUT TERTIUM

OBSCURISSIMA ESSE QUÆ DE PRIORIBUS HISTORIÆ GRÆCÆ TEMPORIBUS OMNINO TRADANTUR, ET PLERUMQUE POTIUS AB UNOQUOQUE AUCTORE TEMERE EXCOGITATA, QUAM E CERTA RERUM COGNITIONE DEDUCTA FUISSE OSTENDITUR

Quantum in lycurgeis fabulis feraci Græcorum ingenio impertiendum dispicere hactenus conati sumus, et quanquam, priore capite, errorem arguimus illorum qui nullum fuisse spartanum legislatorem contendebant, fatendum est illos non indignos esse qui excusentur, quum tam diversa, quin imo contraria, de eo allata fuerint testimonia. Quare, non inutile futurum esse mihi visum fuit tempora Corœbi olympiade antiquiora complecti, et examinare utrum temporum computationes a certis quibusdam indiciis ducantur, an nulla solida fundatione innitantur, ita ut multo minor eis fides adhibenda sit. Rem ego illam gravissimam habeo et magnopere ad inceptum meum pertinentem, quo spero

fore ut diversæ de lycurgea ætate ab Herodoto, Xenophonte et Thucydide allatæ opiniones concilientur, et nova spartani legislatoris imago proferatur, maxime omnium, ut mihi videtur, ad veritatem adducta. Si enim ostendero, tum plurimos errores a recentioribus criticis apud priscos auctores repertos fuisse, tum, irruentibus in austrinam Græciam septentrionalibus gentibus, patrum memoriam conturbatam fuisse et posteriores historicos omnia, ut ita dicam, ex arbitrio disposuisse, et plura in Alexandrinorum opere deprehendi quæ eorum temeritatem arguant, nonne audaciam meam illud paulum levabit, qui, Grotii ceteroquin vestigia secutus, duo omnino sæcula in græca historia injuria intromissa fuisse contendo?

Antiquissimas notiones de populis Ægei maris oras incolentibus Ægyptorum insculpta monumenta suppeditaverunt : immani stela in vico *Karnakico* a docto Marietto detecta docemur, ad sextum fere decimum ante C. N. sæculum regem *Tahout-Mes III* imperium tenuisse *in insulas Ægei maris populosque qui Medium mare incolunt*. Nepote ejus *Ra-me-sou II* regnante, pelasgicas gentes in Ægyptum irrupisse et a rege debellatas fuisse, hierographica epigrammata docent [1]. Quarum gentium quæ *Akaiouscha* vocatur, qui ægyptiis studiis incumbunt docti homines nil aliud

[1] F. Chabas, *Études sur l'antiquité historique, d'après les sources égyptiennes*. Paris, 1873. — Cf. Fr. Lenormant, *Histoire ancienne de l'Orient jusqu'aux guerres médiques*, 9e édit. Paris, 1883, p. 199, sqq., et De Rougé, *Mémoires sur les attaques dirigées contre l'Égypte par les peuples de la Méditerranée* in *Revue archéologique*, août et juillet, 1867.

quam Achæos esse contenderunt, speraveruntque nonnulli fore ut firmo illo fundamento solidum aliquid de græca historia exstruere possent : sub *Ra-me-sou III* rege, ultimum eumdemque maximum impetum fecisse Pelasgos, inter quos eruditi plures Teucros Asiam Minorem incolentes, Siculos Trinacriam, Lycios Laconiam, iterumque Achæos agnoscebant [1]. Ecce autem novæ, ut videtur, nuper explicatæ inscriptiones manifestum fecerunt nil aliud quam libycas tribus esse gentes illas, quas hi auctores pro Achæis, Danais, Lyciis vel Hellenis ducebant. Sic funditus ruit omne ædificium quod his olim commentis nitebatur [2].

Quo igitur dempto, prioribus græcæ historiæ temporibus usque ad primam numeratam Olympiadem, omnia adeo confusa apparent, adeoque in narratione commiscentur homines cum heroïbus, ut peritissimus quisque in hac perturbatione quid veri sit, quid non dispicere omnino nequeat. Vix enim quidquam de quo non ambigatur in sæculis illis remotis reperias.

Quid? Bellum trojanum a poetis celebratum, ab historicis enarratum, adeo apud Græcos illustre ut fere ab omnibus ἐποχή haberetur, nonne in fabularum numerum reponendum esse recentiores critici, nec immerito forsan, affirmaverunt? Nonne verisimillimum est hoc

[1] Maspero, *Histoire ancienne des peuples de l'Orient.* Paris, 1878, p. 232.

[2] A. Wiedemann, *Die ältesten Beziehungen zwischen Ægypten und Griechenland.* Leipzig, Barth, 1883, et *Sammlung ægyptischer Wörter welche von classischen Autoren umschrieben oder übersetzt worden sind.* Leipzig, Barth, 1883. — Cf. *Revue historique*, octobre, 1883, p. 383.

bellum nihil aliud esse quam colonorum illorum inventum, qui, a Bœotia profecti, per Euripum incedentes, Lesbum primum et inde superiorem Asiæ Minoris partem incoluere? Qui, quum, communi Græcorum more, quæ armis subegissent patrio jure subacta esse ostendere vellent, priorem fuisse expeditionem excogitaverunt; Ilias autem ex omnibus canticis conflata est, ut a multis creditur, quæ, per populum vulgata, inclytus collegit poeta, sive Homerus sit, sive Homeridarum familia[1]. Illis tamen fabulis maximam auctoritatem tribuebant qui olim temporibus computandis curam impendebant, et fuere qui diem ipsum quo captam urbem flammæ vis funditus everterit definire susceperint[2]; adeo omnia confusa et ex uniuscujusque libidine constituta.

Multa quoque alia proferre possim quæ non minus a veritate abhorreant : nonne vulgo credebatur Iones ab Europa in Asiam emigravisse, quum contra Iones ex Asia profectos per Tetrapolim in Atticam advenisse docuerit Curtius? Peloponnesumque[3] totam a Doriensibus semel et unica pugna subactam esse, nonne ad hunc diem historici narrabant, quum id veritati repugnare comprobatum nunc habeamus, et mox visuri simus multos ante annos effluxisse quam Dorienses, fortissimi

[1] E. Curtius, *Histoire grecque*, trad. Bouché-Leclercq, t. I, p. 142, sqq.
[2] Hellanicus, fr. 143, ap. C. Muellerum, in *Fragm. hist. græc.*, t. III, p. 65.
[3] Curtius, *Die Ioner vor der ionischen Wanderung*. Berlin, 1855, et ejusdem *Die Griechen in der Diaspora* in *Sitzungsberichte der berliner Akademie*, 1882, p. 943, cujus in *Revue historique*, XXVI, p. 383, ratio redditur.

quidem, sed obsidionalis artis imperiti, regione potirentur castellis munita, acriterque ab Achæis defensa?

Quin, vere dici potest non parum contulisse perpetua illa bella ad obscurandam spissa caligine temporum illorum historiam. Jam antea in Græcia migrationes frequentissimas fuisse testimonium perhibet Thucydides[1]: quomodo, quæso, rerum memoriam servare potuissent Græci, turbatis omnibus, in australes terras descendentibus quæ septentrionem occupabant gentibus, quum nihil non ita ex armis penderet, ut validissimus quisque fertilissimis terris potiretur, donec a validiore ipse pelleretur, et bellicis tantum artibus operam darent homines? Primos illos populorum motus Doriensium irruptio insecuta est Quid mirum nil prope certi de confusa illa tempestate tradi? Adde quod, quum omnia per cantica servarentur, fiebat ut vates veritatem infringerent ad mulcendas audientium aures; simplices autem illius ævi homines, qui incredibiliora sinceris antehabebant, omnia feraci vatum ingenio excogitata protinus accipiebant.

Ecce autem venit tempus quo, e pueris quodammodo egressus, studio arsit græcus populus annales habendi, originemque suam, ut ita dicam, nobilitandi: primus fuit Pisistratus qui, patriæ laudis cupidus, colligendos in ordinemque redigendos atticos fastos curaverit: *Num putabimus*, inquit Brandis[2], *illum qui tanti fecit ut ex Nelidarum prosapia ortus, eorumque tanquam*

[1] Thucydides, I, 2.
[2] Brandis, *De temporum græc. antiqu. rationibus*, p. 16.

heres haberetur (Cf. Her. v, 65), *quem primum Athenis bibliothecam condidisse Athenæus* (i, 3) *et Gellius* (*Noct. att.*, vi, 17) *testes sunt, eum denique qui tantam operam in contexendis carminibus homericis dedit : suæ gentis et suorum majorum memoriæ servandæ et restaurandæ nullam navavisse?*

Inde capto exemplo, curam impenderunt plures ad lucem longinquis illis ætatibus proferendam; non multum autem ad sinceram temporum computationem contulerunt logographi, quorum præcipua diligentia adhibita est ad conciliandas traditiones, quæ inter se jam tum sæpissime repugnabant. Parum quidem Cadmum, Acusilaum, Charonem aliosque curabimus, quorum vix nomina restant[1], et de quibus initio libri *de Genealogiis* hoc judicium fecit Hecatæus[2] : *Hæc scribo*, inquit, *ut vera mihi esse videntur; Græcorum enim narrationes multæ et ridiculæ, ut equidem puto, sunt*. Qui autem se accuratam temporum rationem redditurum esse profitetur, propositum non magis assequi quam Hellanicus potest ; cujus quidem operum jacturam valde desideramus; non multum illa tamen ad priorum Græciæ temporum obscuritatem dispellendam profuisse, tum e fragmentis quæ supersunt concludimus, tum ex ipso Thucydidis judicio : qui enim, peculiarem ejus incuriam

[1] De Bougainville, *Vues générales sur les antiquités grecques du premier âge* in *Mémoires de littérat. tirés des registres de l'Acad. roy. des Inscr. et Belles-Lettres*, t. XXIX, 1764, p. 27.

[2] Hecatæus, Fr. 332, ap. C. Muellerum. *Fragm. hist. græc.*, t. I, p. 25 : Τάδε γράφω, ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι· οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσίν.

notavit[1], affirmavitque illud demum ab eo et ejusmodi viris effectum, ut falsis omnibus quæ memoriæ prodiderint audientium animi caperentur[2]. Quam autem arduum sit de longinqua illa ætate quid verum sit dijudicare, ipse indicat *Belli Peloponnesiaci* auctor, quum dicit, de prioribus historiæ græcæ temporibus plerumque opiniones non admodum credibiles fabulisque propiores percrebuisse.

Logographos longe multoque antecellit Herodotus. Quis tamen ignorat eum sæpius iis quæ narrarentur plus justo assensum fuisse? Acumen Thucydidis jactare supervacuum, quum merito dictum sit ex ejus mente veram prosiluisse historiam, quemadmodum armata Minerva e Jovis capite prosiluerit[3]. In viginti autem capitibus, quibus antiquissimæ Græciæ historiam complectitur, præterquam quod plures admisit errores a recentioribus patefactos, temporum omnino negligit descriptiones, quod nihil solidi profecto invenerit, quo judicium fulcire possit.

Omni quidem studio se laborare ut vera dignoscat dicit Ephorus; multa tamen pro animi simplicitate tradidit, quæ omnino arte deerant critica : quanquam enim, ut dicit Strabo[4], eos insectatus est qui veraci rerum narrationi fabulis gaudent admiscendis, suamque ipsius sinceritatem laudibus evexit, promissa non facit, et falsa veris jungere non desinit.

1 THUCYDIDES, I, 97.
2 THUCYDIDES, I, 21.
3 H. WELZHOLER, *Thukydides und sein Geschichtswerk*. München, 1878, p. 6.
4 STRABO, IX, 3, 11.

Accuratior profecto Timæus, qui chronologicis quæstionibus enodandis sæpius operam dedit: illum quidem vehementer Polybius[1] perstringit atque incusat quod, neque in rebus publicis, neque in rebus bellicis versatus, nullam e rerum usu prudentiam collegerit, neque peregrinando, ac loca quæ describit suis oculis lustrando, veram eorum cognitionem capere studuerit. Hanc vero Polybii sententiam resciderunt posteri, nuperque doctus affirmavit criticus[2], Timæo multo majorem de temporum computatione fidem adhibendam esse: qui enim ephoros cum regibus spartanis, athenienses archontas cum Junonis sacerdotibus contulit[3], olympionicas insuper tabulas ita constituit, ut moris posthac omnium fuerit eas ad temporum supputationem adhibere.

Quod vero ad prioris Græciæ historiam attinet, nil aliud Timæus poterat quam instabile ædificium instabilibus fundamentis exstruere; varie enim tradita verisimiliter inter se componere cœpit, et res enarratas ita disponere, ut quam minime inter se pugnarent.

Aliquid simile Alexandrini profecto suscepere, quibus tanta ab auctoribus quibusdam adhibita est fides: qui enim, res a Cecrope et Hercule gestas eodem fere modo enarrant, quo Themistoclis Periclisque historia exponi solet: qua autem ratione suas computationes instituerint incertum plane. Non possumus tamen Caroli

1 Polybius, XII, 25 h.

2 Ch. Clasen, *Historisch-kritische Untersuchungen über Timaios von Tauromenion*. Kiel, 1883. — Cf. *Revue historique*, t. XXVI, 1884, p. 395.

3 C. Mueller, *Fragm. hist. græc.*, t. I, p. 193.

Mülleri[1] opinionem prætermittere, qui tempora rerum quæ primam antecedunt Olympiadem se explicaturum esse contendit: quum enim animadvertisset Ægyptos, Mexicanos, Sinensesque et plures Asiæ Mediæ populos, annorum cyclis usos esse in historia sua enarranda, idem fieri apud Græcos suspicatus, subducta ratione, LXIII annorum ibi periodos exstare dicit, quorum initiis incidant insignia fabulosæ ætatis momenta : verbi gratia, enumeratis variis quæ ab historicis veteribus bello Trojano assignantur annis, cyclos computat qui ab eo usque ad primam Olympiadem interjecti fuerint, et ita pergit : *Missis*, inquit[2], *minoribus illis differentiis, quæ ex lunarium solariumque annorum permutatione nascuntur, principalis dissensus eo continetur quod nonnulli octo, longe plurimi septem cyclos ab Olympiade prima usque ad Troïca numerarunt.*

Inde profectus, omnia Carolus Müllerus παραπήγματα, qui quasi cardines sunt omnis Græcorum chronologiæ, cyclos adhibendo explicat, Lycurgumque vel uno vel duobus cyclis a Corœbi Olympiade distinctum fuisse affirmat.

Qui computandi modus a pluribus quidem impugnatus est : *Profecto*, inquit Brandis[3], *profligatam rem haberemus, si vera essent quæ Müllerus statuit, vetustorum temporum rationes a Græcis omnes ad cyclorum amussim constitutas esse... Nullo vero*

[1] G. Mueller, *Fragmenta chronologica.— De ratione antiquissimæ Græcorum chronologiæ*, ad calcem Herodoti. Didot, 1877.
[2] G. Mueller, *Op. cit.*, p. 129.
[3] Brandis, *Op. cit.*, p. 1.

modo constat LXIII annorum circuitu Græcos unquam annum lunarem cum solari anno exæquasse;... de annorum LXIII autem periodo nusquam ne verbum quidem est.

Mülleri ergo sententiæ Brandis non favet; affirmant vero alii auctores veri partem inesse rationibus ab illo allatis, Dunckerum[1] dico, Gutschmidiumque[2] et nuperrime Mommsenium[3], qui omnes ante primam Olympiadem temporum descriptiones, adhibitis cyclis, definitas fuisse existimant. Ex illis saltem doctorum hominum disceptationibus sequitur, Alexandrinorum in ea re parvam esse auctoritatem, nonnullamque de eorum supputationibus derogandi permittendam esse veniam, modo argumenta afferamus, quæ alicujus momenti esse videantur.

Quæ nostra opinio multum quoque adaugetur, quum videmus quam paucissimis documentis judicium fulcire potuerint qui has res attrectabant.

Nemo quidem ignorat scribendi artem Græcos ante nonum sæculum plane ignoravisse, et, tum primum victorum nomina monumentis inscribere cœpisse, quum, anno DCCLXXVI, Corœbus Eleus in olympicis ludis coronatus fuerit. Multo vero tardius ab eruditis *Olympionicorum* constitutæ sunt tabulæ[4]; hæc aiebat

[1] Duncker, *Geschichte des Alterthums*. Berlin, 1852.

[2] Gutschmid, *Commentatio de rerum ægyptiacarum scriptoribus græcis* in *Philologus*, X, p. 669.

[3] Mommsen, *Chronologische Untersuchungen über das Kalenderwesen der Griechen, insonderheit der Athener*. Leipzig. Teubner, 1883, cujus ratio redditur in *Revue historique*, t. XXVI, p. 409.

[4] Bouché-Leclercq, *Atlas pour servir à l'histoire grecque de Curtius*. Paris, 1883, p. 50.

Plutarchus[1] quum Numæ originem definire vellet : *Sane certum aliquid de tempore quo vixerit tradere difficile est, eoque magis quod id ex Olympicorum certaminum victoribus sit æstimandum, quorum descriptionem sero admodum Hippias Eleus edidit, nullo usus rei fundamento, cui fides necessario esset adhibenda.*

In ejusmodi tabulis cæterorum quoque ludorum victores inscribebantur. Parum vero conferunt ad annorum computationem, nec majorem[2] e *carneonicis albis* commoditatem percipere erat, quum nomina tantum eorum qui in musicis certaminibus vicissent complecterentur[3].

Melius[4] certe ad Lacedæmonum cognoscendam historiam pertinebant libri quibus notabantur responsiones, quas per Pythios spartani reges e delphico oraculo excipiebant : ab illis excerptis plura mutuatus est Herodotus[5], quibus profecto alludit Plutarchus[6], quum dicit a Lacedæmoniis de Lycurgo oraculum in antiquissimis tabulis servari.

Alia quoque Spartæ vidit monumenta idem scriptor,

1 Plut. *Numa*, I, 4 : Τοὺς μὲν οὖν χρόνους ἐξακριβῶσαι χαλεπόν ἐστι καὶ μάλιστα τοὺς ἐκ τῶν Ὀλυμπιονικῶν ἀναγομένους· ὧν τὴν ἀναγραφὴν ὀψὲ φασὶν Ἱππίαν ἐκδοῦναι τὸν Ἠλεῖον, ἀπ' οὐδενὸς ὁρμώμενον ἀναγκαίου πρὸς πίστιν.

2 Bouché-Leclercq, *Op. cit.*, p. 57.— Cf. J. G. Droysen. *Die Festzeit der Nemeen.* Hermes, XIV, 1878, p. 1–24.

3 O. Mueller, *Die Dorier*, I, p 130.

4 Gilbert, *Studien zur altspartanischen Geschichte.* — Erstes Kap.: *Die einheimische Tradition der Spartaner.*

5 Herodotus, I, 65, 66, 67. — VI, 57.

6 Plut. *Adv. Colot.*, 17 : Λακεδαιμόνιοι τὸν περὶ Λυκούργου χρησμὸν ἐν ταῖς παλαιοτάταις ἀναγραφαῖς ἔχοντες.

apud quem rursum legimus[1] Xenophontem Agesilai filiæ nomen non perhibuisse, et queri Dicæarchum quod neque Epaminondæ matris neque Agesilai filiæ notum sit : ego autem, pergit Plutarchus, legi *in laconicis commentariis* (ἐν ταῖς Λακωνικαῖς ἀναγραφαῖς) Agesilai uxorem Cleoram, filiasque ejus Eupoliam et Prolytam nominatas fuisse. Hæc quidem verba liquida sunt et aperta ; ad rem vero multum interest cognoscere utrum illæ tabulæ antiquæ sint et pretiosa de longinquis temporibus indicia nobis suppeditent, an conscriptæ fuerint non ita pridem, et parum ad ea quæ exquiramus conferant : conjectura autem probabile est, ut animadvertit Brandis, eas ætate Herodoti inferiores esse[2] : *Verum enimvero*, inquit, *permirum foret, si ea tabula jam tum Spartæ exstitisset, ni accuratissimus ille antiquæ memoriæ investigator ullam ejus notitiam reperisset. Quæ quum ita sint, non videbimur cupidius judicasse, si illud monumentum post Herodotum demum vel reclusum vel fabricatum esse statuerimus.*

Restat ut aliud annalium genus examinemus, quibus Alexandrini adeo fidebant, ut Heraclidarum reditum et præcipua priscæ illius ætatis facta ex eis designaverint, regum dico spartanorum *Indices*, quibus non nomina tantum, sed regni cujusque spatium inscribebantur ; quos si præpostera ætate conscriptos esse ostenderimus, consequetur omnino labantia esse fundamenta quibus vetus chronologia exstructa est.

[1] Plut, *Agés.*, XIX, 7.
[2] Brandis. *Op. cit.*, p. 6.

Rei enodandæ prodest, quod Herodotus, Ephorus, Timæusque hos *Indices*, non dico plane ignoraverint, sed plane neglexerint : nam si hunc catalogum in promptu habuisset Halicarnassensis historicus, quomodo fieri potuerit ut græca tempora ad asianos fastos exegerit? *Apertissimum est*, inquit Brandis[1], *fastos Lacedæmoniorum, quibus Alexandrinorum prorsus diversas rationes superstructas reperiemus, Herodotum latuisse.*

Nec majorem illis fidem tribuebat Ephorus, qui, ut idem animadvertit[2], Heraclidarum reditum ad annum MXC retulerit, eo quod ætates stemmatis Herculis, e suo tempore ascendens, numeraverit.

Timæum, quo nemo veterum in inquirendis temporum rationibus fuit diligentior, non fugiebant quidem spartanorum regum catalogi; non autem tanti eos faciebat, quæ alio testimonio immutari nequirent : belli enim Trojani annum e numero virginum computat[3], quas Locri jussi fuerant per decem sæcula quotannis Minervæ trojanæ immolandas tradere, ut Ajacis piaretur scelus. Ex ea igitur ratione, Troja mille, vel (si tres annos in censum vocamus, qui inter Ajacis mortem et oraculi responsum intercesserunt) mille tribus annis ante annum belli phocici (CCCXLVI) id est anno MCCCXLIX ante C. N. capta est.

Documento est quam parum tertio fere ante C. N. sæculo præfinita fuerint tempora quæ maximus qui-

[1] Brandis, *Op. cit.*, p. 6.
[2] Brandis, *Op. cit.*, p. 25.
[3] Timæus, fr. 66, ap. C. Muellerum, *Fragm. hist. græc.*, t. I, p. 207.

busque illius ævi rebus attribuebantur, Timæum, ob patriæ amorem, accuratissime constituta tempora ad nova illa commenta accommodare potuisse.

Veterem equidem chronologiam corrigere non mihi tantum sumo ut suscipiam; illud modo concedatur, solidum fere nihil, a veteribus auctoribus, de temporum quæ primam antecedunt Olympiadem computatione narrari. Quæ quum ita sint, non mirum de Lycurgo quoque tam diversa tradi, nec illud ab iis argumentum afferri potest, qui nullum aiunt fuisse Lycurgum.

Multo autem gravius aliquid e præsenti studio colligemus, scilicet, confusis ita omnibus, et potius ex uberi logographorum ingenio, quam ex attenta rerum observatione ductis, non omnino constringi recentiorem criticum temporum notationibus a veteribus auctoribus allatis, sed quamdam illi earum mutandarum libertatem condonandam esse, modo solidis opinionem suam argumentis fulcire possit. In sequenti capite videre dabitur quem fructum ex hac concessa venia percepturi simus.

CAPUT QUARTUM

PRO VIRILI PARTE QUA ÆTATE VIXERIT LYCURGUS EXAMINABITUR.

Quum igitur tam parum ad lycurgeam ætatem definiendam proficiant chronologicæ veterum computationes, restat ut pro virili parte rem examinemus, nodumque ipsi expedire conemur.

Ad rem absolvendam multum afferent opera, quæ ab excellentibus criticis nuper edita, partem laboris sublevabunt : ita ostendit G. Dumius[1] *tabularum regum spartanorum* percontationes non ita contemnendas esse, sed a posterioribus historicis ita male explicatas, ut suam eis restituere significationem necesse sit; quum enim videret in illis *Indicibus* multo majorem annorum numerum cuique regno attribui, in mentem venit illa ipsa cum regnis eorum qui historicis temporibus vixerint conferre, agnovitque hæc illis multo breviora fuisse. Imo, antiquiora recentioribus illustrare aggressus, inquisivit quamdiu regnaverint, si media sumatur

[1] G. Dum., *Die spartanischen Königslisten*. Innsbrück, 1879.

computatio, in Germania *Habsburger* et *Hohenzollern*, in Gallia *Capetiani* et *Valesienses:* ex his autem calculis sequitur vitam decem fere annos amplius quam regna durare solere, et vitæ cuique triginta tres annos, regno viginti tres, modum tenendo, assignari. Quum igitur in *spartanis tabulis* cuique regi triginta quinque anni, mediam viam si eligas, attribuantur, concludit G. Dumius *gentilicium stemma*, non autem regnorum spatium a veteribus traditum esse; insuper ostendit hos *Indices* non ipsis jam Eurysthenis Proclisque temporibus, sed multo tardius, historica tantum ætate, conscriptos fuisse.

Si quis autem quomodo ficti illi annorum numeri cuique regi addicti fuerint interroget, responsum eruere licet ex hoc albo, quod interpretatur G. Büsoltus[1] in paginula, ubi Ungeri[2] sententiam de loco Diodori quodam novis fulcire certat argumentis.

Apollodoream enim computationem, quæ a Corœbi Olympiade ad Eurysthenem CCCXXVII annos ducit, primum quidem adhibet Diodorus; regum vero seriem profert, in qua summæ annorum, cuique regno attributorum, numerus triginta quinque deficit.

Aliam alii critici rei explicationem proposuerunt, quique ibi mendum suspicabantur, Agidi pro *uno* anno annos *triginta unum*, Echestrato pro *triginta uno* annos *triginta quinque* assignabant[3].

[1] G. Buesolt, *Zu den griechischen Königslisten* in *Rheinisches Museum*. N. F., t. XXXIX, IIIe Heft, 1884, p. 478.
[2] Unger, *Diodor's Quellen im XI. Buch* in *Philologus*, t. XXXX, p. 95.
[3] Clinton, *Fasti Hellenici*, I, p. 332.

Manifestum fecit Ungerus illius loci textum integrum esse; causam autem discrepantiæ attulit Diodori scribendi genus, qui hinc illinc excerpendo libros condere solebat. In re autem de qua agitur, ab Apollodori de spartanis regibus sententia deflexit ad Ephori sententiam, qui quidem ab Eurysthene ad primam Olympiadem CCXCIII annos numerabat. Dum autem rem enarrat G. Büsoltus, tabulam profert in qua novem primorum Spartæ regum nomina cum regnorum annis notantur; illa quidem geometrico ordine disponuntur: quorum tria si sumas una, quæ eodem signo notantur, eadem fere summa efficitur, scilicet 107; hoc autem trium ætatum annorum summa est ($35\frac{2}{3} \times 3 = 107$).

1) *Eurysthenes* 42   2) [Agis] 1   3) *Echestratus* 31

4) LABOTAS 37   5) DORYSSUS 29   6) AGESILAUS 44

7) [Archelaus] 60   8) [Teleclus] 40

9) *Alcamenes* 37

$$42 + 31 + 37 = 107 + 3$$
$$37 + 29 + 44 = 107 + 3$$
$$1 + 60 + 40 = 107 - 6\ (3 + 3)$$

Hæc novitatis causa transcripta, quibus equidem non majus æquo pondus adhibeo; manifestum saltem faciunt fictos omnino esse qui spartanis regibus assignantur annorum numeros, et potius ad auctoris commodum cujuslibet excogitatos esse, quam e certo documento depromptos.

Quæ quum ita sint, sequi videtur justo longius intervallum inter doriensis impetus initium et primam numeratam Olympiadem ab historicis assignatum esse. Hoc autem effectum est, tum regnorum spatium producendo, tum in regum serie plura ficticia nomina inserendo. Quid enim? Soum illum, de quo mirandam apud Plutarchum animi firmitatem legimus, nonne nullum unquam fuisse comprobavit Gilbertus[1]? Nonne Grotius plura regum nomina, præsertim in priore indicis parte, omnino ficticia esse ostendit? Semper quidem oblectati sunt homines (cujus rei exempla his nostris temporibus adhuc reperias), in sua quam longissime removenda origine; multo vero magis ætate illa qua, commixtis deis hominibusque, facile ac promptum erat a Jove vel Heracle stirpem elicere. Aliquid autem cavendum erat, scilicet ne deus, ut stirpis pater adscitus, propior ab eo qui primus eum adscivisset poneretur : ut enim græcorum eorum quivis se octavum vel decimum Jove prognatum facile dicebat, ita idem profecto proprium patrem vel avum deum vocare veritus esset. Quamobrem, regibus spartanis suam divinam originem prædicantibus, quasi necessitate quadam factum est fictos esse primos *regii indicis* reges, commenticiosque illis annos attribui. Nobis autem, qui accuratam temporum illorum rationem subducere conamur, res sedulo animadvertenda, et notatio temporum vulgo accepta numero annorum ita magno minuenda est.

[1] Gilbert, *Studien zur altspartanischen Geschichte*, p. 25.

Hoc quoque clarius videbimus si, re pro virili parte suscepta, ipsi a veterum ratione recedentes, qui nil aliud in mente habebant quam CCCXXVIII annorum spatium inter trojanum bellum et primam Olympiadem spartanis regnis complere, consideremus quamdiu historicis temporibus eadem regna duraverint. Desumptis autem inde a sexto sæculo novem regibus, a Cleomene I scilicet ad Cleomenis II obitum, hos omnes CCXI annos demum regnavisse comperimus; inde fit, ut cuique viginti tres anni addicantur. Quem ergo numerum si ex historico tempore in illud quod *fabulosum tempus* nominare solent referimus, omnibusque attribuimus regibus ab Eurysthene ad Alcamenem, inde sequetur Heraclidarum reditum, id est Doriensium in Peloponnesum irruptionem, non duodecimo quidem, sed multo probabilius decimo demum sæculo initium cepisse.

Hanc certe opinionem, si e proprio fundo eruissem, doctorum hominum opera destitutus, quorum lucidum judicium pro lege est, vix equidem proferre ausim; eam autem totam, etsi non uno tenore explicetur, passim apud Grotium reperias, et parum abest quin recentiorum criticorum optimus quisque ei nunc assentiatur [1].

Quantum autem illa ad Lycurgi ætatem definiendam conferat, vix dicere opus est: quis enim non videat ita conciliari diversa quæ de Lycurgo tradantur? Utputa

1 Vide G. F. HERTZBERG, *Geschichte von Hellas und Rom* in *Allgemeine Geschichte in Einzeldarstellungen*, von W. Oncken. 3. Abtheilung, p. 27.

quid aliud Herodotus, quum eum Labotæ avunculum tutoremque facit, quam inter reges ponere, qui primi Peloponnesum subigendam susceperunt ? Quæ quum ita sint, idem sensisse Herodotum Xenophontemque merito dicere possumus, quum hic Lycurgum haud procul ab Heraclidarum tempore floruisse contenderit.

E communi ergo temporum computatione, undecimo fere ante C. N. sæculo vixisset Lycurgus : quomodo, quæso, hoc conciliari valeat cum Thucydidis opinione, eum anno circiter septingentesimo vigesimo ponentis ?

Hanc difficultatem qui solvere cupit, in memoriam revocet necesse est Heraclidarum in Peloponnesum reditum ducentis annis tardius, decimo demum sæculo, initium cepisse. Inde sequitur non jam adeo inter se differre excellentes historicos Thucydidem, Xenophontem Herodotumque, et simul enodari inenodabilem, quam olim critici apud Xenophontem notabant, difficultatem.

Res dilucidior etiam apparebit, quum quid de Peloponnesi a Doriensibus occupatione sentiendum ostenderimus; contendebant enim veteres scriptores [1] illam regionem quasi portentosa vi divinæ cujusdam virgulæ ex improviso in ditionem redactam. Primus patefecit O. Müllerus quam incredibilis sit hæc a tragicis excogitata fabula, scilicet Dorienses terram quam non adhuc possiderent inter se partitos esse : illa enim ab

[1] Thucydides, I, 12. — Cf. Herodotus, I, 56; VI, 52. — Strabo, VIII, 3, 33. — Apollod. *Bibl.*, II, 8. — Pausanias, II, 18, 7; V, 3, 5.

[redacted]æis acriter defendebatur, qui tum demum cum [redacted]entibus pacem iniverunt, quum, continuatis eorum fl[redacted]us quasi obruti, repugnando impares essent. Illi[redacted]m undique pressi adveniebant : plures vectos nav[redacted] juxta ripas Euripi incedentes, Minyas Dryopesq[redacted]cutos, in Peloponnesum appulsos esse ostendit Groti[redacted]; qui jam enim insulas Carpathum, Coum, Nisyr[redacted], Creticasque urbes, tempore quo conflata est Ilias[redacted]cupaverant [3], iidem in littus ubi Inachium ex[redacted]ctum fuerat Argos e navibus egressi sunt. In h[redacted]ntibus campis ubi fluvii Inachus Charadrusque [4] [redacted]uunt, per spatia arundinibus uliginosisque fruti[redacted]us operta, quæ aggesta Erasinus terra lætificat, [redacted]ud procul a mari, assurgit arenosus collis, *Teme-*[redacted]*eio*[redacted] vocatus, e quo ferunt Achæos, Argis habitantes, [redacted]ibus, Temeno duce, oppugnatos fuisse; [redacted] au[redacted] si attente consideraveris, videbis non fieri p[redacted] cohortes, itinere terrestri incedentes, ita inter o[redacted]essam urbem et mare castra locare auderent, periculumque obirent ut fuga intercluderentur. Nisi igitur navibus suis hujus discriminis vitandi potestatem habuissent Dorienses, alium profecto ponendis castris locum elegis[redacted].

N[redacted]em modo ab Alete, Hippotæ filio, [redacted]capta fuit [5]; mari enim vectæ, invadentium

[1] O. Mueller, *Die Dorier*, I, p. 64.
[2] Grote, *Op. cit.*, t. III, p. 222-223.
[3] O. Mueller, *Die Dorier*, I, p. 9.
[4] Ross, *Reise im Peloponnes*. Berlin, 1841, t. I, 5, p. 149. — Cf. Pausanias, II, 38, 1. — Strabo, VIII, 6, 2.
[5] Grote, *Op. cit.*, t. III, p. 221-222.

quid aliud Herodotus, quum eum Labotæ avunculum tutoremque facit, quam inter reges ponere, qui primi Peloponnesum subigendam susceperunt ? Quæ quum ita sint, idem sensisse Herodotum Xenophontemque merito dicere possumus, quum hic Lycurgum haud procul ab Heraclidarum tempore floruisse contenderit.

E communi ergo temporum computatione, undecimo fere ante C. N. sæculo vixisset Lycurgus : quomodo, quæso, hoc conciliari valeat cum Thucydidis opinione, eum anno circiter septingentesimo vigesimo ponentis ? Hanc difficultatem qui solvere cupit, in memoriam revocet necesse est Heraclidarum in Peloponnesum reditum ducentis annis tardius, decimo demum sæculo, initium cepisse. Inde sequitur non jam adeo inter se differre excellentes historicos Thucydidem, Xenophontem Herodotumque, et simul enodari inenodabilem, quam olim critici apud Xenophontem notabant, difficultatem.

Res dilucidior etiam apparebit, quum quid de Peloponnesi a Doriensibus occupatione sentiendum ostenderimus; contendebant enim veteres scriptores [1] illam regionem quasi portentosa vi divinæ cujusdam virgulæ ex improviso in ditionem redactam. Primus patefecit O. Müllerus quam incredibilis sit hæc a tragicis excogitata fabula, scilicet Dorienses terram quam non adhuc possiderent inter se partitos esse : illa enim ab

[1] THUCYDIDES, I, 12. — Cf. HERODOTUS, I, 56; VI, 52. — STRABO, VIII, 3, 33. — APOLLOD. *Bibl.*, II, 8. — PAUSANIAS, II, 18, 7; V, 3, 5.

Achæis acriter defendebatur, qui tum demum cum invadentibus pacem iniverunt, quum, continuatis eorum fluctibus quasi obruti, repugnando impares essent. Illi autem undique pressi adveniebant : plures vectos navibus, juxta ripas Euripi incedentes, Minyas Dryopesque secutos, in Peloponnesum appulsos esse ostendit Grotius [2]; qui jam enim insulas Carpathum, Coum, Nisyrum, Creticasque urbes, tempore quo conflata est Ilias occupaverant [3], iidem in littus ubi Inachium exstructum fuerat Argos e navibus egressi sunt. In humentibus campis ubi fluvii Inachus Charadrusque [4] confluunt, per spatia arundinibus uliginosisque fruticibus operta, quæ aggesta Erasinus terra lætificat, haud procul a mari, assurgit arenosus collis, *Temeneion* vocatus, e quo ferunt Achæos, Argis habitantes, a Doriensibus, Temeno duce, oppugnatos fuisse; rem autem si attente consideraveris, videbis non fieri potuisse ut cohortes, itinere terrestri incedentes, ita inter obsessam urbem et mare castra locare auderent, periculumque obirent ut fuga intercluderentur. Nisi igitur navibus suis hujus discriminis vitandi potestatem habuissent Dorienses, alium profecto ponendis castris locum elegissent.

Nec alio quidem modo ab Alete, Hippotæ filio, Ephyre capta fuit [5]; mari enim vectæ, invadentium

[1] O. Mueller, *Die Dorier*, I, p. 64.
[2] Grote, *Op. cit.*, t. III, p. 222-223.
[3] O. Mueller, *Die Dorier*, I, p. 9.
[4] Ross, *Reise im Peloponnes*. Berlin, 1841, t. I, 5, p. 149. — Cf. Pausanias, II, 38, 1. — Strabo, VIII, 6, 2.
[5] Grote, *Op. cit.*, t. III, p. 221-222.

turmæ in imo Saronico sinu, ad Cenchræas portum, Solygeio in monte consederunt, quem tardius occupavit Nicias, quum Corinthum, Peloponnesiaco bello[1], obsidione clauderet. Quæ quum ita sint, jam non mirum est Dorienses, paucis interpositis temporibus, Megara, Epidauro, Trœzene, omni denique Saronici sinus ora potitos esse.

Narrant veteres historici Dorienses, simul atque advenerint, potitos esse Sparta, ubi Eurysthenes et Procles supremum exercuissent imperium[2]. Quo autem modo illud conciliari valeat cum traditis a Pausania[3] et Strabone[4]? Dilucide enim dicunt illi Dorienses, ad Spartam in suam potestatem redigendam, præsenti nonnullorum regionis incolarum auxilio usos esse. Quis credere possit Spartanos vix advenientes, infensissimis proximis urbibus, Soo regnante, se, ut tradit Plutarchus[5], in locum maxime ancipitem, in septentrionalem Arcadiæ partem, prope urbem Clitorem nomine, contulisse, quum eis profecto hostes iter intercludissent, si tanto a patria spatio decedere sustinuissent?

Multo igitur satius est dicere, nihil aliud esse Soum nisi mythicam personam, per quam Dorienses in Arcadia remansisse exprimitur[6].

1 Thucydides, IV, 42. — Cf., I, 122; III, 85; VII, 18, 27; VIII, 38-40.
2 Thirlwall, *Hist. des orig. de la Grèce anc.* Transl. Ad. Joanne. Paris, 1852, p. 193, sqq.
3 Pausanias, III, 13, 3.
4 Strabo, VIII, 5, 4. — Cf. Nicolaus Damasc. fr. 36. ap. C. Muellerum. *Fragm. hist. græc.*, III, p. 375.
5 Plut. *Lyc.*, II, 3.
6 H. Gelzer, *Die Wanderzüge der lakedämonischen Dorier* in *Rheinisches Museum*. N. F., t. XXXII, 1877, p. 259.

Regno sequenti, propius Spartam accedunt invadentes, Mantineamque, propter suam erga Ægidis interfectores gratiam, obsident : capta urbe, jam nunc via ad Eurotam patebat ; sed Tegea, cujus adeo celebres sunt erga Dorienses inimicitiæ ut cogitaverint logographi Hylli regisque Echemi singulare certamen, aliquandiu restitit ; dum eam oppugnabat Prytanis, Eurypontis filius, incursionem sustinuit Cynurensium, qui inferiorem Argivæ planitiei partem incolebant : eos e sedibus expulit et denique, aperto itinere, Sparta Dorienses potiti sunt. Hanc rem profecto significat Pausanias[1], quum dicit « per proximas deinceps ætates, Eunomo scilicet et Polydecte, Eunomi filio, regnantibus, perpetuam pacem Spartanis fuisse. »

Quantum illa ad nos pertineant, quis est qui non videat? Jam nunc enim manifestum fit Lycurgum pacificam egisse personam, vix subdita Eurotæ valle, confusis omnibus, contendentibus inter se victoribus victisque.

Ex eo sequitur non ita opposita esse quæ de ejus ætate traduntur, sed conciliari posse in speciem oppositas Herodoti, Xenophontis, Thucydidisque opiniones, et Lycurgum desinente demum octavo sæculo locandum. Ut enim omnem memoriam rerum breviter complectamur, jam vidimus, tum reditum Heraclidarum decimo, non autem duodecimo ante C. N. sæculo ponendum, tum plures qui vulgo reges Spartæ vocantur nil aliud esse quam turmarum earum duces, quæ, diversas par-

[1] PAUSANIAS, III, 7, 2.

turmæ in imo Saronico sinu, ad Cenchræas portum, Solygeio in monte consederunt, quem tardius occupavit Nicias, quum Corinthum, Peloponnesiaco bello[1], obsidione clauderet. Quæ quum ita sint, jam non mirum est Dorienses, paucis interpositis temporibus, Megara, Epidauro, Trœzene, omni denique Saronici sinus ora potitos esse.

Narrant veteres historici Dorienses, simul atque advenerint, potitos esse Sparta, ubi Eurysthenes et Procles supremum exercuissent imperium[2]. Quo autem modo illud conciliari valeat cum traditis a Pausania[3] et Strabone[4]? Dilucide enim dicunt illi Dorienses, ad Spartam in suam potestatem redigendam, præsenti nonnullorum regionis incolarum auxilio usos esse. Quis credere possit Spartanos vix advenientes, infensissimis proximis urbibus, Soo regnante, se, ut tradit Plutarchus[5], in locum maxime ancipitem, in septentrionalem Arcadiæ partem, prope urbem Clitorem nomine, contulisse, quum eis profecto hostes iter intercludissent, si tanto a patria spatio decedere sustinuissent?

Multo igitur satius est dicere, nihil aliud esse Soum nisi mythicam personam, per quam Dorienses in Arcadia remansisse exprimitur[6].

1 Thucydides, IV, 42. — Cf., I, 122; III, 85; VII, 18, 27; VIII, 38-40.

2 Thirlwall, *Hist. des orig. de la Grèce anc.* Transl. Ad. Joanne. Paris, 1852, p. 193, sqq.

3 Pausanias, III, 13, 3.

4 Strabo, VIII, 5, 4.—Cf. Nicolaus Damasc. fr. 36. ap. C. Muellerum. *Fragm. hist. græc.*, III, p. 375.

5 Plut. *Lyc.*, II, 3.

6 H. Gelzer, *Die Wanderzüge der lakedämonischen Dorier* in *Rheinisches Museum*. N. F., t. XXXII, 1877, p. 259.

Regno sequenti, propius Spartam accedunt invadentes, Mantineamque, propter suam erga Ægidis interfectores gratiam, obsident : capta urbe, jam nunc via ad Eurotam patebat ; sed Tegea, cujus adeo celebres sunt erga Dorienses inimicitiæ ut cogitaverint logographi Hylli regisque Echemi singulare certamen, aliquandiu restitit ; dum eam oppugnabat Prytanis, Eurypontis filius, incursionem sustinuit Cynurensium, qui inferiorem Argivæ planitiei partem incolebant : eos e sedibus expulit et denique, aperto itinere, Sparta Dorienses potiti sunt. Hanc rem profecto significat Pausanias[1], quum dicit « per proximas deinceps ætates, Eunomo scilicet et Polydecte, Eunomi filio, regnantibus, perpetuam pacem Spartanis fuisse. »

Quantum illa ad nos pertineant, quis est qui non videat? Jam nunc enim manifestum fit Lycurgum pacificam egisse personam, vix subdita Eurotæ valle, confusis omnibus, contendentibus inter se victoribus victisque.

Ex eo sequitur non ita opposita esse quæ de ejus ætate traduntur, sed conciliari posse in speciem oppositas Herodoti, Xenophontis, Thucydidisque opiniones, et Lycurgum desinente demum octavo sæculo locandum. Ut enim omnem memoriam rerum breviter complectamur, jam vidimus, tum reditum Heraclidarum decimo, non autem duodecimo ante C. N. sæculo ponendum, tum plures qui vulgo reges Spartæ vocantur nil aliud esse quam turmarum earum duces, quæ, diversas par-

[1] Pausanias, III, 7, 2.

turmæ in imo Saronico sinu, ad Cenchræas portum, Solygeio in monte consederunt, quem tardius occupavit Nicias, quum Corinthum, Peloponnesiaco bello[1], obsidione clauderet. Quæ quum ita sint, jam non mirum est Dorienses, paucis interpositis temporibus, Megara, Epidauro, Trœzene, omni denique Saronici sinus ora potitos esse.

Narrant veteres historici Dorienses, simul atque advenerint, potitos esse Sparta, ubi Eurysthenes et Procles supremum exercuissent imperium[2]. Quo autem modo illud conciliari valeat cum traditis a Pausania[3] et Strabone[4]? Dilucide enim dicunt illi Dorienses, ad Spartam in suam potestatem redigendam, præsenti nonnullorum regionis incolarum auxilio usos esse. Quis credere possit Spartanos vix advenientes, infensissimis proximis urbibus, Soo regnante, se, ut tradit Plutarchus[5], in locum maxime ancipitem, in septentrionalem Arcadiæ partem, prope urbem Clitorem nomine, contulisse, quum eis profecto hostes iter intercludissent, si tanto a patria spatio decedere sustinuissent?

Multo igitur satius est dicere, nihil aliud esse Soum nisi mythicam personam, per quam Dorienses in Arcadia remansisse exprimitur[6].

1 Thucydides, IV, 42. — Cf., I, 122; III, 85; VII, 18, 27; VIII, 38-40.
2 Thirlwall, *Hist. des orig. de la Grèce anc.* Transl. Ad. Joanne. Paris, 1852, p. 193, sqq.
3 Pausanias, III, 13, 3.
4 Strabo, VIII, 5, 4. — Cf. Nicolaus Damasc. fr. 36. ap. C. Muellerum. *Fragm. hist. græc.*, III, p. 375.
5 Plut. *Lyc.*, II, 3.
6 H. Gelzer, *Die Wanderzüge der lakedämonischen Dorier* in *Rheinisches Museum.* N. F., t. XXXII, 1877, p. 259.

Regno sequenti, propius Spartam accedunt invadentes, Mantineamque, propter suam erga Ægidis interfectores gratiam, obsident : capta urbe, jam nunc via ad Eurotam patebat ; sed Tegea, cujus adeo celebres sunt erga Dorienses inimicitiæ ut cogitaverint logographi Hylli regisque Echemi singulare certamen, aliquandiu restitit ; dum eam oppugnabat Prytanis, Eurypontis filius, incursionem sustinuit Cynurensium, qui inferiorem Argivæ planitiei partem incolebant : eos e sedibus expulit et denique, aperto itinere, Sparta Dorienses potiti sunt. Hanc rem profecto significat Pausanias[1], quum dicit « per proximas deinceps ætates, Eunomo scilicet et Polydecte, Eunomi filio, regnantibus, perpetuam pacem Spartanis fuisse. »

Quantum illa ad nos pertineant, quis est qui non videat? Jam nunc enim manifestum fit Lycurgum pacificam egisse personam, vix subdita Eurotæ valle, confusis omnibus, contendentibus inter se victoribus victisque.

Ex eo sequitur non ita opposita esse quæ de ejus ætate traduntur, sed conciliari posse in speciem oppositas Herodoti, Xenophontis, Thucydidisque opiniones, et Lycurgum desinente demum octavo sæculo locandum. Ut enim omnem memoriam rerum breviter complectamur, jam vidimus, tum reditum Heraclidarum decimo, non autem duodecimo ante C. N. sæculo ponendum, tum plures qui vulgo reges Spartæ vocantur nil aliud esse quam turmarum earum duces, quæ, diversas par-

[1] PAUSANIAS, III, 7, 2.

tes, diversis temporibus Peloponnesum occupaverint. Quum vero multi adhuc anni effluxissent, antequam tota subigeretur regio et concordia inter victores victosque constitui posset, in sententiam Thucydidis plane venimus, qui Lycurgum anno circiter octingentesimo vigesimo ante C. N. leges dedisse affirmare videtur.

At, dicet aliquis, ex hac quidem tua computatione duo sæcula et paulo magis de historia græca detrahuntur. Ad hanc solvendam difficultatem non desunt luculenti auctores quos in subsidium evocare valeam : neminem enim fugit eorum, qui vel minime priorum Græciæ temporum historiam evolverint, ibi spatium temporis duorum commodo vel trium sæculorum exstare, adeo spissis tenebris obductum, ut vix quidquam in eo quis dispicere possit.

Hoc ita exprimit eruditissimus criticus [1], in excellenti de *Græcis coloniis* libro : « Quanquam, inquit, caliginem discutere temporum illorum quæ Heraclidarum reditum præcurrunt difficillimum sit, multo adhuc difficilius est dispicere quid evenerit sæculis inter hunc reditum inclusis et primam Olympiadem... Excipias enim conditas æolicas, doricas, ionicasque Asiæ Minoris colonias, nil nobis de quatuor sequentibus sæculis traditum est, et miranda quidem res est quantum de hoc temporis spatio obmutescant auctores. »

Cujus rei explicationem critici aliam alii præbue-

[1] Raoul Rochette, *Histoire des Colonies grecques*, t. II, ch. XVI, p. 455.

runt : « Probabile est, pergit ille[1], nihil tunc in Græcia tanti discriminis accidisse, quod hominum mentibus inhæreret, Græciam autem civilibus commutationibus turbatam, recentibus exhaustam migrationibus, pacificis demum laboribus incubuisse et operam dedisse ut quiete abundantiaque vulnera sanarentur, quæ ob anteactæ ætatis calamitates accepisset. »

Hæc verba tantum esse, non res multi videbunt. Nec profecto melior ingeniosa illa quam (clarissimi viri gratia dixerim), apud *V. Duruy* invenimus explicationem : « Quum, inquit[2], desivit in Græcia impulsus ab invadentibus Doriensibus effectus et conditis coloniis ejecti sunt homines qui, numerosiores justo, hanc regionem incolebant, plura elapsa sunt sæcula antequam novi demigrarent homines. Septimo vero sæculo, quum ob pacem prosperitatemque crevisset incolarum numerus, nec jam illis nutriendis terra par esset, altera Græcorum facta est migratio, quæ ad septentrionem occidentemque contendit. »

Ergo, quemadmodum e vasis superfunditur liquor statim ut ad fauces pervenit, ita secundum *V. Duruy* effusa est Græcia, in qua, ob gentium concursationes, increverat hominum multitudo, et undique constitutæ sunt coloniæ. Coæquato autem incolarum numero cum regionis exiguitate, quievit illa, et tribus demum post sæculis novus subortus est migrantium fluctus.

[1] Raoul Rochette, *Op. cit.*, t. II, p. 456.
[2] V. Duruy, *Histoire des Grecs*. Paris, 1874, t. I, p. 252.

Arguta quidem collatione utitur doctissimus idemque ornatissimus ille historicus, sed splendidiore quam credibiliore. Non enim adeo arctis finibus Græcia continebatur, ut frequentiores cives effundere cogeretur, coloniæque potius ex eo natæ sunt, quod propensissimi essent Græci ad commercium exercendum mariaque navibus hinc illinc tranandа, quam eo quod nimium increvisset civium numerus. Nec minus errare videtur, quum Græciam ad hominum inopiam redactam esse, quod colonias instituerit, affirmat *V. Duruy:* nonne enim apud omnes constat continuas coloniarum deductiones hominum multitudinem augere, nedum minuant [1], et quo de liberorum victu quæritando minus laborent parentes, eo magis augescere familias?

Multo igitur melior nobis Grotii [2] videtur opinio, qui hæc tria sæcula, de quibus indicia desunt, nullo exstitisse modo, nec aliud quidquam esse æstimat, ac spatium illud, quod quodam modo necessarium est ut historica tempora fabulosis temporibus conjungantur. Mythi enim cœlo aperto et tempore præsenti nasci et increscere non queunt, communisque omnibus hominibus propensio est genus suum in præteritum tempus quam maxime retroferre: hoc tum e multis aliis indicibus, tum ex eis quæ urbi Cumis evenere compertum habemus. Sibi enim illa civitas magnos spiritus sumebat, eo quod antiquissima esset ejus origo;

[1] Cf. Dr G. Lagneau, *L'émigration de France* dans les *Séances et travaux de l'Académie des sciences morales et politiques*, nov., 1884, 11e livr., p. 680.

[2] Grote, *Op. cit.*, t. II, p. 261.

refert enim Strabo[1] eam ab Hippocle Cumæo et Megasthene Chalcidensi conditam fuisse, Eusebiusque[2] pro certo affirmat illud anno MXLVII ante C. N. evenisse. Rem aliter actam esse, Cumasque octavo demum sæculo, simul ac Zancle ac Rhegium, constitutas fuisse advertit Fr. Normanus[3], opinioni assensus eruditissimi Helbigii[4], Germanicæ apud Romanos scholæ nunc adhuc directoris, cujus in hisce rebus dijudicandis tanti ponderis sententia est.

Qui enim, quum animadvertisset minime verisimile esse undecimo ante C. N. sæculo Græcos, navigandi artis imperitos, tam longe a patria coloniam condidisse, quum tot in altera Italiæ vel Siciliæ ora prona ad constituendum domicilium loca occurrissent, nec fieri potuisse ut Chalcidenses et Cymæi tum inter se fœdus ad deducendos colonos inirent, vix condita ipsa asiatica Cyme, eo attentius quæ effossa fuerant examinavit, viditque nil usquam reperi, quo Strabonis testimonium confirmaretur, Cymæum contra cultum Mycenensi cultu recentiorem apparere. Quin imo, compertum habuit plane congruere ibi detecta rudera cum ruderibus quæ in lucem protulerunt qui Sicilienses antiquas urbes scrutati sunt, exstructas illas quidem nono vel octavo ante C. N. sæculo[5]: ita Thucydidis comprobatur

[1] Strabo, V, 4, 4. — Cf. Velleius Paterc. I, 4.
[2] Euseb. *Chron.*, ed. Schöne, II, p. 60 et 61.
[3] Fr. Lenormant, *La Grande Grèce, paysages et histoire*. Paris, 3 vol., t. I, p. 255.
[4] Helbig, *Das Homerische Epos aus den Denkmälern erläutert*. Leipzig, Teubner, 1884, p. 321-323.
[5] Helbig, *Op. cit.*, p. 64-66.

testimonium, qui Naxum omnium antiquissimam in Occidente græcam urbem fuisse contendit[1].

Quod igitur ad Cumas attinet, manifestum est temporum notationem corruptam fuisse; sed multa alia ejusdem rei exempla reperiamus, et ostendere facile sit in quaque Græciæ republica spatium exstare trecentorum fere annorum, de quo nulla omnino ad nos percontatio pervenit.

Atticam nunc si respicimus, vix dicere opus est obmutescere omnino historicos de *perpetuis archontibus*, ita ut merito dixisse videatur Grotius[2], illos excogitatos fuisse ut historica tempora cum fabulis conjungerentur: quid aliud fecerunt quatuor reges, qui in Corinthiorum regum *indice* ante Bacchidem sunt, quam celebrem illam domum cum Heraclidarum domo connectere[3]? Nonne Argivum Phidonem, qui medio fere octavo ante C. N. sæculo regnabat, Theopompus[4] sextum a Temeno, Ephorus[5] decimum modo ponebat? ex hoc inferre licet quemque suo arbitrio Temeni progeniem augere vel minuere posse. Item, si Messeniæ historiam respicias[6], sex reges de quibus nemo quidquam referre valeat invenias.

Sed satis jam verborum, ut cunctis appareat obscurissima esse tempora, quæ primam antecedant Olym-

[1] THUCYDIDES, VI, 3.
[2] GROTE, *Op. cit.*, t. IV, p. 88.
[3] GROTE, *Op. cit.*, t. III, p. 219,
[4] THEOPOMPUS, fr. 30, ap. C. MUELLERUM, *Fragm. hist. græc.*, Didot, t. I, p. 283.
[5] Ap. STRABONEM, VIII, 3, 33.
[6] GROTE, *Op. cit*, t. III, p. 246.

piadem, nec adeo mirandum esse nos Heraclidarum reditum undecimo, Lycurgum nono ante C. N. sæculo desinente, ponere.

CAPUT QUINTUM

QUI ESSET CIVILIS POLITICUSQUE PELOPONNESI STATUS, TEMPORE QUO LYCURGUS LEGES DEDIT, INVESTIGABITUR

In priore hujus operis parte vidimus, tum incertas esse omnino temporum quibus studemus chronologicas computationes, tum Doriensium in Peloponnesum irruptiones non uno eodemque tempore, sed paulatim et, ut ita dicam, continuo motu factas esse. Nunc qui fuerit Peloponnesi status nono ante C. N. sæculo, quo tempore Lycurgus leges dedit, examinandum.

Illud enim in spartana legislatione præsertim admirationem movet, scilicet quo evenerit modo ut legislator populo severa quæ novimus instituta irrogare potuerit. Postquam autem manifestum fuerit Lacedæmone illis temporibus conturbata fuisse omnia, inter se decertantibus victoribus victisque, intelligemus Lycurgi munus multo facilius fuisse, quum quæ ad pacem stabiliendam pertinerent grato animo omnes acciperent, et rudem quem novimus vivendi modum non

gravate homines amplecterentur rudi militiæ assuefacti, quam necessario egerant, dum, e septentrionali Græciæ parte profecti, per infestas gentes, ut Peloponneso potirentur, armati iter faciebant.

Illud autem quo melius dijudicemus, videndum qui fuerit incolarum hujus regionis vitæ cultus, tempore Doriensium irruptionem lycurgeaque instituta antecedente.

Hæc ipsa res non minimi quidem laboris est, quum nil fere præter homerica carmina ad illam ætatem illustrandam apud auctores reperiatur, Achæorumque cultum qui animo effingere cupit, in memoriam suam revocet necesse est mœnia illa Tirynthis Mycenarumque congestis saxis exaggerata, substructos illos thesauros, qualis est Atræi, superbaque in editis locis surgentia castella. Nec parum ad rem proderunt pretiosissima illa omnia, quæ nobili scientiæ amore succensi viri, multo labore, multaque impensa, sub terra fodendo, in lucem protulere, manifesta magnificentiæ horum populorum documenta.

Si quis enim ea consideret ab egregio viro Schliemanno[1] in sepulturis reperta, quæ utrum Agamemnonis sint annon parum refert, quæ tamen non ita remotæ esse videntur ab illo cui studemus tempore (Mycenæo enim cultui quartum decimum sæculum assignabat doctissimus, qui tantum sui nuper desiderium reliquit

[1] SCHLIEMANN, *Mycènes*, récit des découvertes faites à Mycènes et à Tirynthe, avec une préface de M. Gladstone. Ouvrage traduit de l'anglais, avec l'autorisation de l'auteur par J. Girardin, Paris, 1879.

Albertus Dumont[1]), manifeste videbit, Achæos, quod ad vitam humanitate perpolitam attinet, nulli populorum cedere, qui his temporibus mirifica magnificentiæ suæ testimonia præbuerunt, Ægyptios, Assyriosve dico, quorum artis exempla in Mycenarum sepulcris reperta sunt[2] : quid enim aliud sunt imaginunculæ caput vaccinum referentes, quibus non absimile est sigillum in *Tahout-Mes III* monumento inventum, vel feminæ illæ e lapide, compressis manibus sedentes, multaque alia ex Oriente in Atridarum urbem manifesto allata? Nec ipsos elegantiorum artificiorum Mycenenses ignaros fuisse docent picta figulina, ænea arma aureis ornamentis insignita, variæ demum formæ quibus vasa aliave fingebant : qui eorum luxus fuerit, e splendidarum vestium reliquiis, quibus cadavera obducebantur, sub agoræ solo reperta, conjectare licet; quam divites fuerint, illa ostendit auri congeries, quam Schliemanno eruere contigit; quam potentes, ex illis apparet mœnibus quæ seu Tirynthe, seu Mycenis, seu aliis quoque locis miramur, illa quidem tanta mole exstructa, ut a Cyclopibus congesta fuisse vulgo crederentur. Quid opus est celebrem illam *Leonum Portam*, tantaque illius ævi monumenta laudare? Quum autem miracula illa consideramus, nos juvat cogitatione ad vitam revocare superbos Atridas, qui, ex sublimi Mycenarum arce, in toto argivo campo et in Eurotæ valle imperium exercebant, et adeo in cæteris Græciæ

[1] ALBERT DUMONT, *Les Céramiques de la Grèce propre*. Paris, 1873.
[2] G. PERROT. *Les commencements de l'art en Grèce*, de MILCHÆFER, Leipzig, 1883, in *Journal des savants*, 3e article, mai 1885.

partibus reverenter habebantur, ut *rex regum* Agamemnon omnes regionis principes adversus Trojam ciere potuerit. Non autem quos secum ducebat principibus adeo superior erat ille, ut ejus jussa omnes submisse exsequerentur: facile enim videbit qui modo homerica carmina volutaverit, regis ita circumscriptam fuisse potestatem, ut nil propemodum juberet, antequam sententiam exprompsissent illi qui βουλευταί, βουληφόροι vel γέροντες vocabantur[1].

Illi autem, qui civium primores erant, ordinem formabant, non multum quidem absimilem nobilitati illi, quæ in pluribus Europæ regionibus, ut in Gallia, per Mediam Ætatem viguit, et nunc etiam in Nippone invenimus. Decimo autem ante C. N. sæculo, quam parum stricti in Græcia essent erga regem reverentiæ nexus, ex eo apparet quod, trucidato, si fabulis fidem adhibemus, ab Ægistho Agamemnone, nemo circumhabitantium principum fuerit, qui ab infelicis regis interfectore justas pœnas sumpserit; adeo flocci faciebant quæ in Mycenarum regno agebantur!

Celsis igitur castellorum mœnibus tuti, nullius imperio subjecti, æneis armis fidentes, curribus vecti, pilo armati, nobilissimum quemque ad singulare certamen vocare solebant, quem ad pugnam magno clamore lacessebant; plebem, quæ agros circumhabitabat, despiciebant, et rarissime, ne a dignitate discederent, cum uno e multis prælium inibant. Propemodum militaris artis ignarus erat populus et commercio,

[1] SCHÖMANN, *Antiquités grecques*, trad. Galuski, Paris, 1884, p. 30.

artificio meritorio, vel agriculturæ incumbebat; maxima tamen agrorum pars a servis hinc illinc emptis, vel bello captis colebatur.

Hi erant Achæorum mores antequam in Peloponnesum descenderent gentes quæ hactenus arduos septentrionalis Græciæ montes incolebant. Quam ab Achæorum vita dissimilis harum esset vivendi modus, vix opus est ut dicam : quum enim longo spatio a mari arcerentur, nec cum Ægyptiis Assyriisque per Phœnices communicarent, multum ab Achæorum cultu aberant. Eos, ut mihi videtur, designat Thucydides quum dicit[1]: *Quum eis negotiatio nulla esset, nec ullus inter ipsos propter formidinem commercio locus daretur,... quumque suam quisque terram hactenus coleret, ut victui sufficeret, nec pecuniæ vim haberent, nec humum arboribus consererent, quia incertum erat quando quis alius, incursione facta, fructum ablaturus esset, præsertim quum muris non muniti... haud gravate sedes mutabant, et ob id ipsum nec magnitudine urbium, nec reliquo valebant apparatu.*

Quæ quum ita sint, quid mirum bellicosas illas gentes populorum pingues campos littusque maris habitantium vitæ commoditatem ægris oculis vidisse, tantaque bona ut sibi pararent omni ope enisos esse? Non hic locus est varias referendi populorum migra-

[1] THUCYDIDES, I, 2: Τῆς γὰρ ἐμπορίας οὐκ οὔσης, οὐδ' ἐπιμιγνύντες ἀδεῶς ἀλλήλοις,... νεμόμενοί τε τὰ αὑτῶν ἕκαστοι ὅσον ἀποζῆν, καὶ περιουσίαν... χρημάτων οὐκ ἔχοντες, οὐδὲ γῆν φυτεύοντες, ἄδηλον ὂν ὁπότε τις ἐπελθὼν καὶ ἀτειχίστων ἅμα ὄντων ἄλλος ἀφαιρήσεται., οὐ χαλεπῶς ἀπανίσταντο, καὶ δι' αὐτὸ οὔτε μεγέθει πόλεων ἴσχυον, οὔτε τῇ ἄλλῃ παρασκευῇ.

tiones quæ Doriensium in Peloponnesum adventum antecesserunt : ipsos enim per varias regiones vicissim se contulisse, ex Achaïa Phthiotide in Hestiæotida, infra Olympum montem, et inde usque in Macedoniam perrexisse, e qua rursus per Thessaliam in Doridem, et, multis post annis, in Peloponnesum pervenisse tradunt auctores [1]. Qui fuerint eorum mores non aliter atque conjectando assequi possumus ; mihi vero non temerarium videtur eos quodammodo cum populis illis æquiparare, qui, in ægyptiis vici *Medinet-Abou* monumentis vivi finguntur : ibi enim immensam videmus Pelasgorum Teucrorumque multitudinem, cum pueris mulieribusque advenientem, plaustris vectam, terrasque uberes consequentem ; ab hoc populo Dorienses eo fortasse differebant, quod non omnes una iter faciebant, sed catervatim incedebant, quanquam eodem omnes contenderent.

Quomodo potestatem suam extenderint illi, indagat Thucydides [2], causamque affert *eos sæpissime a civitatibus, auxilii causa, pro conductis mercede militibus, arcessitos fuisse.*

Hunc equidem locum maximi facio, nam mihi haud ita differre videtur Doriensium in Peloponnesum irruptio ab irruptione quam, multis post sæculis, in imperium Romanum barbaros fecisse compertum habemus. Quam accuratius perscripsit doctissimus idemque benignis-

[1] Quos enumeratos invenies apud O. MUELLERUM, *Die Dorier*, Vermehrte Ausgabe von Schneidewin. Erste Abtheilung, p. 18, sqq.

[2] THUCYDIDES, I, 3 : Ἕλληνος δὲ καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐν τῇ Φθιώτιδι ἰσχυσάντων, καὶ ἐπαγομένων αὐτοὺς ἐπ'ὠφελίᾳ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις...

simus vir *Fustel de Coulanges* [1], qui, quum non minus spartana quam gallica instituta noverit, plurimum ad nos contulit : patefecit ille igitur non Germanos infensis semper armis, ut omnia ferro ignique vastarent, in Romanum imperium incessisse, sed plerumque agros tantum colendos rogavisse, pro quibus se dominis tributum pensuros esse pollicebantur [2].

Nonne Cimbrorum Teutonumque multitudo consulem orabat *ut manibus utque armis, ut vellet, uteretur* [3] ? Refert Suetonius [4] Ubios et Sicambros, regnante Augusto, se senatui populoque romano dedidisse, Tiberiumque quadraginta millia dediticiorum germanorum in Galliam trajecisse. Nec aliter se res quarto post C. N. sæculo habuit : manifestum est enim veras et omnino hostiles populorum irruptiones, sive Alamani sint, Suevive, Burgundi, Vandales, vel Huni, omnia quidem incendio delevisse, sed nil firmum diuturnumque condidisse [5] ; Germani contra in Gallia radices egerunt vivaces, quorum alii agricolæ adhibiti sunt, alii stipendium merebantur et legionibus auxiliabantur : in castris distributi, duces quidem ipsi sibi eligebant, in clientela tamen Romanorum erant, quocumque senatus vellet vexilla ferebant, et quas habitabant regiones ab aliis invadentibus defendebant [6].

[1] Fustel de Coulanges, *Institutions politiques de l'ancienne France.* Paris, 1877.
[2] Fustel de Coulanges, *Op. cit.*, p. 377.
[3] Florus, III, 3.
[4] Suetonius, *Augustus*, 21 ; *Tiberius*, 9
[5] Fustel de Coulanges, *Op. cit.*, p. 368.
[6] Idem. *Ibid.*, p. 387.

Non equidem ignoro periculosam sæpissime fuisse hanc protectionem, et germana gothicaque præsidia multas occupavisse urbes, quas se ab obsidione servaturos esse promiserant[1]; non minus tamen inde sequitur barbaros Gallia non uno impetu, sed vicissim et continuo quodam motu potitos esse, et excellenti illo doctissimi *Fustel de Coulanges* opere, falsæ redarguantur opiniones, quæ de hujus regionis occupatione circumferebantur.

Non profecto equidem is sum qui Dorienses in Peloponnesum descendentes omnino cum Germanis conferre ausim, multumque absum quin labantem Achæorum potestatem cum Romanorum imperio confundam : non possum tamen non similitudinem illam animadvertere, quæ, si locum Thucydidis citatum respicimus, inter utrumque populum apparet.

Ut enim Germani stipendia merebantur, ita Dorienses mercede conductos fuisse a principibus olim solio pulsis, qui paternas sedes recuperare, vel novas sibi parare cupiebant, non est quod dubitemus : Pausanias[2] enim refert Corintho Dorienses potitos fuisse, Alete duce, qui quidem Heraclidarum genere esset, eum autem navibus advenientem a Melane quodam adjutum fuisse, qui cum caterva e sua Gonussa arce [3], inter Ægiram Achaïcamque Pellenem assurgente, Aletem auxiliaturus, descenderat. Melas[4] autem ille, Antasi

1 Fustel de Coulanges, p. 409.
2 Pausanias, II, 4, 3.
3 Homerus, *Ilias*, II, 573, de hac rupe loquitur.
4 Pausanias, II, 4, 4. — V, 18, 7 et 8.

filius, Atracis[1] illius nepos qui nomen dedit Atraci, urbi Thessaliæ, in ripa Penei, Lapithus erat, ut docet Pausanias, scilicet, ut mihi videtur, cum prioribus Doriensibus confundendus, quos e Thessalia pulsos, in Peloponnesum venisse fama est. Namque nullam aliam ego significationem fabulæ adhibeo, qua narratur Lapithos, a centauris devictos, usque in Arcadiam et ad Maleam promontorium fugisse.

Ut autem ad subigendam Peloponnesum revertamur, manifestum est victores victosque sæpissime compromissum fecisse : nonne Doridas Hyanthidasque amice Aletem acceperunt suamque ei Corinthum ultro tradiderunt [2]? A Cresphonte indigenas Messeniæ incolas benignissime habitos fuisse docent Ephorus[3] Nicolausque Damascenus [4]. Imo, sunt invadentium principes, e quibus Temenus, qui majorem indigenis auctoritatem quam propriis militibus suis adhibuerunt; quæ causa fuit cur a filiis trucidaretur : quum enim filiam Hyrnethonem cuidam Deiphonti nupsisset, uni e regionis incolis, et hunc generum filiis suis anteferret, patrem illi ad fluvium lavantem, in regione deserta adorti sunt; qui vero, antequam exspiraret, Deiphontem et Hyrnethonem regni successores designavit.

Dum hæc Argis agerentur, simile aliquid Spartæ evenisse narrat Ephorus, qui expresse dicit Eurys-

[1] Strabo, IX, 5, 19.

[2] Pausanias, II, 4, 3.

[3] Ephorus, ap. Strabonem, VIII, 4, 7.

[4] Nicolaus Damascenus, fr. 39, ap. C. Muellerum. *Fragm. hist. græc.*, t. III, p. 377.

thenem, Proclemque, ob penuriam hominum regionem incolentium, concessisse ut peregrini quilibet inquilinorum loco reciperentur : *Circumhabitantes*, inquit [1], *omnes quanquam parerent Spartiatis, ejusdem tamen juris et civitatis, munerumque publicorum participes fuerunt.*

Ex his confirmantur ea quæ hujus capitis initio dicebamus, scilicet Dorienses non armorum vi solum Peloponneso potitos esse, sed paulatim in regionem, incolarum quorumdam præsidio nitentes, irrepsisse, et cum eis fœdus iniisse, ita ut victores victique aliquoties juxta amici vixerint.

Sed necesse erat ut brevi, propter invidiam, inimicitiæ nascerentur inter veteres novosque incolas, adeo inter se moribus dissimiles : Achæi enim, qui se humaniore cultu præstare sibi conscii erant, rudes despiciebant Dorienses ; illi contra effeminatos homines in imperii consortium admitti indigne ferebant.

Multa quidem apud auctores vestigia reperire est contentionis illius, quæ paulo post subactam Peloponnesum orta est.

Modo jam vidimus Temenum a filiis interfectum, propter suam in indigenas benevolentiam ; narrat Nicolaus Damascenus [2] idem Cresphontem perpessum esse, eo quod reipublicæ formam ita innovare vellet, ut non

[1] Ephorus. ap. Strabonem, VIII, 5, 4 : .... ὑπακούοντας δ'ἅπαντας τοὺς περιοίκους Σπαρτιατῶν ὅμως ἰσονόμους εἶναι, μετέχοντας καὶ πολιτείας καὶ ἀρχείων.

[2] Nicolaus Damascenus, fr. 39, ap. C. Muellerum, *Fragm. hist. græc.*, t. III, p. 377.

jam æquo jure forent Dorienses et indigenæ; in ipsa Laconia, Agis, Eurysthenis filius, Achæis ademit ut cum Spartanis civitatis munerumque publicorum participes forent, eosque jussit tributum solvere.

Ex his mutationibus quam turbata fuerit respublica vix dicere opus est; huic profecto alludit Herodotus[1], quum narrat Lacedæmonios ante Lycurgum omnium pessimam constitutionem habuisse, atque hujus opera demum in meliorem statum transiisse. Spartam laudabat Thucydides[2], quod omnium quarum memoria exstet civitatum, longissimas passa seditiones, amplius tamen quadringentis annis, optimis legibus uteretur. Idem fere pronuntiat Isocrates[3], quum contendit tantis ante Lycurgum Lacedæmonios seditionibus laboravisse, quantas nullam unquam præterea Græcia experta sit. Nec est quidem quod miremur hunc auctorem alias dicere[4] Spartanos septingentorum annorum spatio eamdem reipublicæ formam servavisse, donec sub belli Peloponnesiaci finem imperio maris potiti essent : non enim ex illo loco sequitur Isocratem sibi ipsi contradicere, sed multo verisimilius est eum, haud secus ac Xenophontem, spartanum legislatorem Heraclidarum tempore ponere. Adeo incertæ erant, ut jam antea vidimus, computationum rationes, quæ de tempore ante primam numeratam Olympiadem ducebantur.

Ego autem, quum multas jam enumeraverim causas

1 Herodotus, I, 65.
2 Thucydides, I, 68.
3 Isocr. *Panath.*, § 177.
4 Idem. *De Pace*, § 95.

cuncta Lacedæmone, Lycurgeo tempore, turbarentur, illas præterii quæ ex indole ingenioque uniuscujusque regis nascebantur : quam tamen illud ad miscendam rempublicam conferre potuerit, ex eo vidimus quod dicit Aristoteles[1], a Lycurgo Charilai tyrannidem in *aristocratiam* mutatam fuisse. Eumdem regem incusat Heraclides Ponticus[2] quod Spartam τυραννικῶς regerit. Ab illis auctoribus, quod ad Charilaum attinet, differt Plutarchus, sed Eurypontem prodit, qui *quum regiam potestatem mitigasset et remissiorem effecisset, populum ita ferocire docuit, ut posteriores reges in odium subditorum incurrerent, vel omnem auctoritatem amitterent. Ita*, inquit, *diu Spartæ contra leges et ordinem pleraque acta sunt : in ea confusione, Lycurgi pater, quum contentionem quamdam dirimeret, cultro lanii ictus, relicto majori suo filio Polydectæ regno, mortuus est*[3].

Ex his videre licet quibus Lycurgus condicionibus leges Spartanis dederit. Multiplex ei negotium erat : ut diversa quibus lacedæmonius constabat populus elementa inter se conciliaret, ut Doriensium expostulationibus satisfaceret, suumque cuique redderet : quam-

[1] ARISTOT. *Polit.*, VIII, 1, 3.

[2] HERACLIDES PONTICUS, fr. 3, ap. C. MUELLERUM. *Fragm. hist. græc.*, II. p. 210.

[3] PLUT. *Lyc.*, II, 5 :... ὅτι δοκεῖ πρῶτος Εὐρυπῶν τὸ ἄγαν μοναρχικὸν ἀνεῖναι τῆς βασιλείας δημαγωγῶν καὶ χαριζόμενος τοῖς πολλοῖς. Ἐκ δὲ τῆς τοιαύτης ἀνέσεως, τοῦ μὲν δήμου θρασυνομένου, τῶν δ'ὕστερον βασιλέων τὰ μὲν ἀπεχθανομένων τῷ βιάζεσθαι τοὺς πολλούς, τὰ δὲ πρὸς χάριν ἢ δι' ἀσθένειαν ὑποφερομένων, ἀνομία καὶ ἀταξία κατέσχε τὴν Σπάρτην ἐπὶ πολὺν χρόνον· ὑφ' ἧς καὶ τὸν πατέρα τοῦ Λυκούργου βασιλεύοντα συνέβη τελευτῆσαι. Διερύκων γὰρ ἀψιμαχίαν τινὰ μαγειρικῇ κοπίδι πληγεὶς ἀπέθανε τῷ πρεσβυτέρῳ παιδὶ Πολυδέκτῃ καταλιπὼν τὴν βασιλείαν.

obrem, tam ex Achæis, ut opinor, quam e præcipuis Doriensibus illam instituit nobilitatem, quæ severissimæ disciplinæ obnoxia, tota in defendendam patriam incumbebat; aliis, *periœcis* scilicet, qui mitiorem vitam, etsi minus honoratam, anteponebant, negotium artemque operosam attribuit; *hilotis*, colendæ terræ, dominorum loco, quibus præfinitam segetis partem afferebant, cura relinquebatur.

Ea quoque, quæ ad politica jura pertinebant, composuit.

Nunc animadvertere sufficiat eum, eo facilius sua instituta probavisse, quod defessi omnes essent confusione et tumultu quem modo depingere conati sumus; adde quod jam Doriensibus militares illi mores erant, quibus Spartani a cæteris Græciæ populis distinguuntur, ita ut merito quis dixerit *Lycurgum non tam novas leges excogitavisse, quam vetera Doriensium instituta revocavisse, atque denuo sanxisse*[1].

[1] F. Hermann, *Antiquitatum laconicarum libelli quatuor*. Marburgi, 1841, p. 1.

CAPUT SEXTUM

AN LEGITIMUM SIT LYCURGEAS ADHIBERE *RHETRAS* AD SPARTANAM COGNOSCENDAM REMPUBLICAM?

Lycurgum jam vidimus eo tempore leges dedisse quo, rebus publicis omnino turbatis, quæ ad pacem pertinebant quisque grato animo acciperet : quæ fuerint illæ leges definire multo difficilius est, quum auctorum tam veterum quam recentiorum in morem venerit omnia quæque Spartæ repererint Lycurgo attribuere, nec satis internoscere, tum quæ ante Lycurgum jam exstitisse manifestum est, tum quæ ab eo quidem prospere primum constituta, in pejus mox, propter communem rerum omnium sortem, desciverant.

Multum igitur lucraremur si per diversissima illa, quæ de condita spartana constitutione deferuntur, aliquid adhibere daretur quod a Lycurgo repetere indubitate possemus.

Hoc fortasse suppeditabunt *rhetræ* illæ, quæ vulgo quidem Lycurgeæ vocantur, de quibus tamen ita apud

auctores disceptatum est, ut non prius ab eis quidquam utilitatis capere audeamus, quam examinaverimus utrum revera a Lycurgo originem ducant, an a falsario quodam perito fabricatæ fuerint.

Quatuor apud Plutarchum *rhetras* perscriptas invenimus : quarum unam, quæ multum ad reipublicæ ordinem cognoscendum profert, ulterius explicabimus ; nunc videndum quid sint illæ quas τὰς τρεῖς ῥητρὰς nominare solent auctores [1]. Hæc de eis apud Plutarchum invenimus : *Leges*, inquit [2], *scriptas Lycurgus non posuit, atque hoc ipsum in una rhetrarum quas vocant cautum est... Alia fuit de sumptibus, qua præcipiebatur ut omnis domus fastigium securi tantum, fores sola serra, nullo alio instrumento adornarentur... Tertia rhetra Lycurgus, ut perhibent, vetuit sæpius bellum iisdem hostibus inferre.*

Leges illas Plutarchum in uno eodemque capite connexuisse, et nomine *trium rhetrarum* pluribus locis comprehendisse, a pluribus auctoribus animadversum est : quorum quidam a Lycurgo nullas unquam alias leges datas fuisse contenderunt. Huic eorum opinioni non equidem subscribo, nec quemquam assentiri posse arbitror, considerato magis propriam esse spartanam illam ab omnibus auctoribus prædicatam

[1] Plut. *Agés.*, XXVI. — *De esu carnis*, II, 1.

[2] Plut, *Lyc.*, XIII : Νόμους δὲ γεγραμμένους ὁ Λυκοῦργος οὐκ ἔθηκεν, ἀλλὰ μία τῶν καλουμένων ῥητρῶν ἔστιν αὕτη... Ἑτέρα δὲ πάλιν κατὰ τῆς πολυτελείας, ὅπως οἰκία πᾶσα τὴν μὲν ὀροφὴν ἀπὸ πελέκεως εἰργασμένην ἔχῃ, τὰς δὲ θύρας ἀπὸ πρίονος μόνου καὶ μηδενὸς τῶν ἄλλων ἐργαλείων... Τρίτην δὲ ῥήτραν διαμνημονεύουσι τοῦ Λυκούργου, τὴν κωλύουσαν ἐπὶ τοὺς αὐτοὺς πολεμίους στρατεύειν, ἵνα μὴ πολλάκις ἀμύνεσθαι πολεμικοὶ γένωνται.

constitutionem, quam ut iis tantum institutis regeretur, quæ in *rhetris* invenimus. Consideratior mihi videtur O. Müllerus[1], qui hunc quidem numerum certum quodammodo et definitum esse contendit, sed silentio præterit utrum alia necne in republica instituerit Lycurgus.

Nostra autem non prius expromenda est sententia quam a Kopstadto[2] aliisque allatas examinaverimus rationes, qui *rhetrarum* auctoritatem multum eo elevari contendunt, quod nullo modo cum lycurgea ætate congruere videantur.

Mihi contra ostendere in animo est *rhetris* nonnulla vestigia inesse, quæ tempus illud prodant, ubi per Græciam, ad subigendam Peloponnesum, iter faciebant Dorienses, nedum quidquam abalienum ab eo sæculo sit, quod spartano legislatori assignamus.

Non equidem criticorum disceptationes ignoro de hac *rhetra*, qua *ne Spartani scriptis legibus uterentur* cautum esse dicitur; quum et alii, tum doctus homo quidam, Peter[3] nomine, rem sanare voluit omnia fere in legis textu mutando, et in loco vocabuli ἀγράφοις, vocabulum ἐγγράφοις ponendo. Hanc tamen audacissimam mutationem ne remedium quidem afferre manifestum est, quum illud præsertim a criticis negetur, scilicet de scriptis legibus agi posse, tempore quo, ut aiunt, ars scribendi plane ignoraretur. Itaque, Nitzschii[4]

[1] O. Mueller, *Die Dorier*, I, 134-135.
[2] Kopstadt, *Op. cit.*, p. 25.
[3] Peter, *Der historische Werth von Plutarch's Biographie des Lykurg*, in *Rheinisches Museum*, N. F. t XXII, p. 65, 1867.
[4] Nitzsche, *Hist. Homer.*, p. 63.

vestigia secutus, Grotius[1] dicit hanc *rhetram* ad ætatem illam referendam esse, qua plures Græciæ populi legumlatores ut Zaleucum, Draconem, Charondam vel Solonem rogabant legum tabulas parare, quibus dissentiones illas sedarent, quæ inter optimates plebemque ortæ erant; ratiocinationibus usus, colligit Nitzschius futurum fuisse ut Spartani, iisdem temporibus, novi legislatoris cujusdam operam flagitarent. Quum autem sentirent optimates, fore ut potestas sua scriptis illis legibus minueretur, oraculi responsum protulerunt, quod, quo melius acciperetur, a Lycurgo originem ducere commentiti sunt, vulgandumque curaverunt.

Ad hanc ingeniosam sane Nitzschii explicationem refellendam, forsan quis *olympicum discum* afferat, vel observet famam fuisse apud veteres scripturam in Elide inde ab anno DCCLXXVI publice adhibitam fuisse; hæc argumenta parvi momenti esse, quum equidem non ignorem, omittam; sed advertere liceat græcarum inscriptionum antiquissimas, illas dico quæ Theræ repertæ fuerunt, nono ante C. N. sæculo assignari[2]. Fieri autem potest ut Spartani scribendi artem paulo citius quam cæteri Græci didicerint, quum omnium primi Græcorum cum insula Thera communicaverint : hæc enim erat Doriensium colonia, qui Spartam, ut aiunt[3], deseruerant, in solium ascendentibus Eurysthene et Procl[illegible]. Ab illa ego opinione

[1] GROTE, *Hist. de la Grèce*, trad. de Sadous, t. III, p. 278, notat. V.

[2] F. LENORMANT, Art. *Alphabet* in DAREMBERG et SAGLIO, *Dictionnaire des antiquités*. — Cf. F. LENORMANT. *Études sur l'origine et la formation de l'alphabet grec*, 2e partie in *Revue archéol.*, déc. 1867.

[3] HERODOTUS, IV, 147-148.

paulum discedo, et Theram suspicor a Doriensibus illis habitatam fuisse, qui, e Maliaco sinu navibus profecti, multas urbes in Peloponneso, in Creta, atque in insulis Thera, Co, Nisyraque condiderunt : qui autem, relicta patria, non omnem in eam abjecerunt amorem, sed sæpissime cum fratribus per Græciam in Peloponnesum descendentibus communicaverunt, eisque primis novam illam scribendi artem, quam ipsi a Phœnicibus mutuati erant, impertiverunt.

Illud autem ab hoc rudi simplicique populo diffidenter acceptum fuisse merito quis conjiciat : natura enim fiebat ut, propter rei novitatem, multis in suspicionem veniret nefarii aliquid arti inesse, qua efficiebatur ut homines, longinquissimo spatio distantes, celsis montibus, immensove mari alius ab alio sejuncti, inter se confabulari sermonemque conferre possent. Hæc vulgus credebat : prudentiores autem erant optimates quam ut ex illa indoctorum hominum sollicitudine utilitatem capere omitterent, potentiæque suæ fines imponi sinerent textu legis immutabili.

Non ita igitur abhorrere hanc *rhetram* mihi videtur a tempore illo quod Lycurgo assignatur; nec ad eamdem minus spectare ætatem nunc probaturus sum alteram illam, qua Spartanis præcipiebatur ut omnes *domus fastigium securi tantum* (ἀπὸ πελέκεως), *fores sola serra* (ἀπὸ πρίονος), *nullo alio instrumento adornarent.*

Qui res diligenter quidem enarrat Plutarchus, sed interpretari nescit, hanc legem latam fuisse dicit, ut

Spartæ rescinderentur luxus, sumptuosusque apparatus. Si quis autem rem attente perspexerit, videbit hanc *rhetram* multo verisimilius ad tempus illud pertinere, quo Dorienses, per Græciam incedentes, continuas cum vicinis populis pugnas inibant. Quid enim? Fac Spartanos delicatam domum, omnibus commodis ornatam inhabitare solitos esse, quis credat ab homine quopiam luxuriam adeo coercitam fuisse, ut cives ille in ligneis casulis vivere coegerit? Pessimæ ergo mihi videntur rationes a Plutarcho allatæ, qui contendit post latam a Lycurgo legem, Spartanos jam pro nihilo et lectos argenteis pedibus fultos duxisse, et purpurea stragula, et aureos calices, sumptuosam denique illam supellectilem, quæ a vilis casæ simplicitate absona esset. Quanto verisimiliora sequi videmur, si hanc *rhetram* tempore illo ponimus, quo nondum in sedem illam pervenissent Dorienses quam posterius incoluerunt. Rem quo melius enodemus, necesse est memoriam illius loci renovare, in quo Thucydides [1] Hellenas depingit hinc illinc ita gressus inferentes, ut parum diu ibidem commorarentur : ubi enim cum feminis ac liberis adveniebant, ibi ligneas casas instruebant, quarum trabes vel secum armentis vehebant, vel in vicinis sylvis secabant ; quoties igitur regio exhausta erat, nec jam sufficientem cibum suppeditare poterat, toties castra movebant Dorienses, et iter ad terras illas pergebant, quæ, quum in australi Græciæ parte essent, feraciores et omnibus deliciis affluere barbaris hominibus

[1] THUCYD., I, 2.

videbantur. Hanc esse causam persuasum habeo cur, quum metuerent duces ne propter vitæ commoditatem milites vexilla insequi recusarent, illam *rhetram* a delphico oraculo petierint. Illud autem in consuetudinem venisse, et adhuc permansisse postquam Peloponneso potiti fuerint Dorienses, ex hac a Plutarcho relata fabula conjectare licet : *Tradunt*, inquit[1], *Leotychidam Corinthi cœnantem, cum videret tabulata domus sumptuosa et laqueata, quæsivisse ex hospite, num in ea regione ligna quadrata nascerentur ?*

Nec alia eget, ut mihi videtur, explicatione tertia illa *rhetra* qua vetabatur *ne bellum iisdem hostibus inferrent*. Illud jussum esse aiebat Plutarchus *ne hostes, se defendere discentes, bellicosi fierent*[2]. Vix opus est ut dicam allatam hanc rationem omnino infirmam esse. Quid enim ? Nonne ipsi se in periculum commisissent Spartani si, quo magis hostes restitissent, eo minus eos debellare conati essent ? Hanc ergo enodationem, ut omnino imparem rejicimus ; res contra clarescit, modo ad Dorienses illos referatur qui, Maliaco sinu profecti, Græciam transcurrebant, ut ad exoptatas illas Peloponnesi terras pervenirent. Quum enim nil tam cuperent illi quam propositum assequi et felici terra potiri, quam ardentibus votis expetebant, quid

[1] Plut. *Lycurg.*, XIII, 7 : Ἐκ δὲ ταύτης τῆς συνηθείας φασὶ καὶ Λεωτυχίδην τὸν πρεσβύτερον, ἐν Κορίνθῳ δειπνοῦντα καὶ θεασάμενον τῆς στέγης τοῦ οἴκου τὴν κατασκευὴν πολυτελῆ καὶ φατνωματικὴν, ἐρωτῆσαι τὸν ξένον, εἰ τετράγωνα παρ' αὐτοῖς τὰ ξύλα φύεται.

[2] Plut. *Lycurg.*, XIII, 8 : ...ἵνα μὴ πολλάκις ἀμύνεσθαι συνεθιζόμενοι πολεμικοὶ γένωνται.

mirum delphicos sacerdotes, qui ingentem potestatem e Doriensium adventu se lucraturos esse sperabant, oraculum pronuntiavisse *ne bellum iisdem hostibus diu inferrent*, et faciliorem prædam designavisse?

Magis atque magis igitur eo adducimur ut illas, quas Plutarchus *tres rhetràs* vocat, Lycurgo paulo anteriores esse contendamus. Quod equidem nil aliud quam conjecturam esse concedo; illa tamen accepta, nihil demum in legibus illis inenodabile manet; eam si probare recusas, majora statim intellectu fiunt.

Nunc autem si hanc quæstionem de qua modo actum est solvere suscipimus, disquirimusque quamobrem in uno eodemque capite leges illas Plutarchus recognoverit, easque sæpe vocabulo αἱ τρεῖς ῥῆτραι designaverit, manifestum esse videtur Spartanos ipsos, etsi veram rei causam obliti essent, incertam conscientiam temporis servavisse, quo una prolatæ fuerint tres illæ leges. Plutarchus autem, qui nihil penitus introspiciebat, sed omnia quæque audiverat referebat, peculiari illa appellatione usus est.

Restat ut de quartæ illius *rhetræ* auctoritate loquamur, quam refert Plutarchus, sexto Lycurgi vitæ capite. Quæ quidem, præterquam quod insolita adhibet vocabula, insuper ab ignaris librariis ita corrupta est, ut a criticis quibusdam in dubium vocata fuerit; tantam autem antiquitatis speciem præ se fert, ut qui eam falsario attribuere malit, majore se difficultate implicare merito dicatur, quam qui difficultatibus enodandis operam dederit. Erret vero si quis in vitiato textu

sanandi immodica illa Gœttlingii[1] libertate utatur; qui enim *rhetras* omnes a posteris, ut dicit, adulteratas, ipse verbo tenus se restituere et novem versibus includere confidit; quin, heroicis versibus conscriptum prœmium conjungit, qualia antiquos legumlatores legibus præfigere solitos esse pluribus exemplis comprobare conatur.

Quam Gœttlingii conjecturam non equidem refutare suscipiam, quum docte demonstraverit sapiens homo Urlichsius[2], hunc criticum tam parum solida attulisse argumenta, ut potius hariolatus esse videatur, quam excellenti suo digna ingenio prætendisse.

Satius igitur erit majoris illius *rhetræ* verba citare, non qualia quidem a librariis corrupta esse videmus, sed illam potius Urlichsii formulam, quam tanto mentis acumine emendavit :

Διὸς Βουλαίου καὶ Ἀθανᾶς Βουλαίας ἱερὸν ἱδρυσάμενον, φυλὰς φυλάξαντα καὶ ὠβὰς ὠβάξαντα, τριάκοντα πρεσβυγενέας σὺν ἀρχαγέταις γερουσίαν καταστήσαντα, οὕτως ὥρας ἐξ ὥρας ἀπελλάζειν μεταξὺ Βαβύκας καὶ Κνακιῶνος εἰςφέρειν τε καὶ ἀφίστασθαι· δάμῳ δὲ κυρίαν ἦμεν καὶ κράτος.

Singularum Urlichsii emendationum causas afferre longius sit; has ceterum omnes comprobamus præter unam. Mutante enim illo verba Συλλανίου και Συλλανίας

[1] Goettling, *Ueber die vier Lykurgischen Rhetren* in *Berichte über Verhandlungen der königl. sächsischen Akademie der Wissenschaften zu Leipzig*, 1847. Fasc. IV, p. 136–158, rursus editum in *Gesammelte Abhandlungen aus dem classischen Alterthume*, I (1851, p. 317-351).

[2] Urlichs, *Ueber die Lykurgischen Rhetren* in *Museo Rhenano philologico*, 1847.

verbis Βουλαίου και Βουλαίας, correctionem ego antepono quam, a Bryano excogitatam, Gilbertus admisit, et *rhetræ* ita prima scribo vocabula :

Διός Ἑλλανίου καὶ Ἀθανᾶς Ἑλλανίας...

In codicibus enim υ cum ε facillime confunditur, multaque exempla veteris formæ proferre liceat σελλα pro ἑλλά, Σελλοί pro Ἑλλοί[1].

Textu igitur ita statuto, quid sententia quæque significet, ulterius videbimus ; nunc variæ pensandæ sunt rationes quas critici, maximeque omnium Trieberus, attulerunt, ut majoris illius *rhetræ* auctoritatem infitiarentur.

Ille enim, primo illius libri capite, ubi laconicæ res in disquisitionem vocantur[2], militarem Spartanorum scrutatus constitutionem, quum *syssitia* ex uniuscujusque cooptatione, non autem e *tribubus*, *obis* vel *gentibus* haberi ostendisset, nullam *tribubus* vel *obis* de quibus in *rhetra* agitur significationem inesse dicit, et hanc primam affert causam cur *majoris rhetræ* auctoritas negetur. Quam minimi sit illud argumentum, tum videbimus, quum, sequentibus capitibus, de civili militarique Lacedæmonis constitutione agetur. — Alterum autem illud examinemus argumentum, quo suam rursus opinionem Trieberus fulcire conatur : considerata enim additicia illa *rhetra*, quæ vulgo Theopompo tribuitur, qua ecclesiæ jura ita in angustum deducta esse viden-

[1] Gilbert, *Studien zur altspartanischen Geschichte*. Gœttingen, 1872, p. 129.

[2] Trieber, *Forschungen zur spartanischen Verfassungsgeschichte*. Berlin, 1871.

tur, ut *senatui liceat lævam populi sententiam abrogare*, negat Trieberus illud congruere cum ephororum institutione, quam eidem Theopompo assignare solent; quo enim modo[1] fieri potest, inquit, ut uno eodemque tempore regium imperium popularisque potestas eleventur, nec ab alterius imminutione incrementum altera capiat? Hoc facile refutabit qui viderit non ita imprimis ephororum productam fuisse potentiam, sed illud demum eos adeptos esse, ut in loco regum, quoties juberentur, jus dicerent.

Ita ea diluuntur quæ contra *rhetræ* auctoritatem prolata erant, nec pluris valere liquet ea quæ verbis μεταξὺ Βαβύκας τε καὶ Κνακιῶνος eruere conatur Trieberus[2].

Exquirit ille quomodo factum sit ut quid hæc vocabula significent ipse promere omittat Plutarchus; qui enim Lacedæmonios de re sciscitari poterat, satis tamen habet Aristotelem commemorare, qui *Babycam* pontem quemdam esse perperam dicit. His ego animadversis, infert Trieberus Plutarchum quid esset *Babyca* percontari non potuisse, hanc profecto ob causam, quod ficticium illud vocabulum falsarius quidam excogitavisset, qui, ut mendaci *rhetræ* fidem faceret, Aristotelis nomen ita adhibuerat. — Ingeniosa quidem illa conclusio, sed quæ plane ab Urlichsio redarguitur : ostendit ille enim Plutarchi textum in hoc loco mendosum esse, verbumque Τίασαν, quod vetus fluminis *Trypiotiko* nomen est, post Βαβύκαν probabiliter

[1] Trieber, *Op. cit.*, p. 27.
[2] Trieber, *Op. cit.*, p. 33.

insertum iri[1]. Ipso igitur facto irrita cadunt omnia quæ a Triebero opponebantur, dilucideque apparet nullam esse causam cur longioris illius *rhetræ* auctoritatem infitias eamus; illam contra Lycurgo multas ob causas tribuendam esse, ex iis manifestum fiet quæ dicturi sumus, quum ipsam lycurgeam constitutionem examinabimus.

[1] Gilbert, *Op. cit.*, p. 133.

CAPUT SEPTIMUM

VARIIS IN LYCURGEA REPUBLICA HOMINUM ORDINIBUS

Quum quæ Lycurgi partes fuerint in instituenda spartana republica perpendere in animo sit, non hanc profecto operam suscepi, ut quidquid a criticis dictum fuerit referam, materiamque exhauriam : melius enim veram Lycurgi imaginem effingere et rerum ordinem simpliciter exprimere, quam multa narrare quæ expedite apud historicos reperias. Plura ergo breviter perstringam et tum demum in re immorabor, quum novum aliquid eruere contigerit, lucem illam infundendo quam e præcedentibus de Lycurgi ætate indagationibus elicere datum est.

Ut autem propositum consequar, quid melius quam a *rhetra* nuper explorata fructum capere, et primum in civilibus institutis, tum in ordinanda republica, denique in privata Spartanorum vita disquirere quid Lycurgo tribuendum sit, quid ei abnegandum.

Ante omnia ergo necesse est ut verba φυλὰς φυλάξαντα καὶ ὠϐὰς ὠϐάξαντα, quoad poterimus, in discrimen vocemus; sic eo adducemur ut quid de origine et conditione *Spartanorum*, *periœcorum* et *ilotarum* sentiendum sit breviter significemus.

Hoc igitur animadvertendum, quod non satis, ut mihi videtur, respexerunt auctores, a Lycurgo, quum leges tulerit, non ad Dorienses modo spectatum fuisse, sed ád illos quoque variæ originis populos qui Laconiam incolebant.

Quæ autem Lycurgea opera fuerit, difficile quis intelligere poterit, nisi societatem, qualis temporibus illis instituebatur, multum profecto ab hac nostra tempestate esse absimilem viderit. Nunc enim ii demum qui sanguine, vel affinitate conjunguntur ex eadem esse familia dicuntur; prioribus temporibus complectebatur οἶκος eos omnes qui convictores erant : ὁμοσίτους [1], qui panem ex eodem alveolo desumebant, ὁμοκάπνους, qui ante eumdem focum cibaria coquebant. Aperte ostendit egregius homo *Fustel de Coulanges* [2] quomodo paulatim increverit familia, ita ut γένος primum, deinde φρατρίαν, denique φυλήν, civitatemque genuerit. Illæ autem divisiones, propter dialectorum differentiam, aliis Spartæ atque Athenis nominibus designabantur. Quid enim? τριακάδα illam quam nominat Herodotus [3] et γένος unum idemque esse nonne manifestum est? Multum equidem de ea re inter se disputavisse auctores

[1] Arist. *Polit.*, I, 1, 6.
[2] Fustel de Coulanges, *La Cité antique*, lib. III, passim.
[3] Herodotus, I, 65.

compertum habeo[1]; non video tamen cur infitietur Pollucis vel Hesychii testimonium, qui quidem ἀτριακάστους homines vocant ἔξω τριακάδος vel γένους.

Grotius sane omnia prope de ejus verbi significatione ea inscriptione confundi dicit, quam edidit Bœckhius[2], ubi τριακάδα divisionem δήμου cujusdam esse apparet : hinc infert illam non ad gentilem, sed ad geographicam populi partitionem pertinere. Quam ego conclusionem non necessariam fore contendo, quum ipse inscriptionem reportet, quam apud Rossium[3] reperiit, ubi dicitur δῆμον quemdam Coi e tribus *gentibus*, ex Antimachidis scilicet, ex Ægiliensibus, atque ex Archidis conflatum fuisse; ex hoc videre licet fieri potuisse ut τριάκας nil aliud atque γένος habeatur.

Unde autem illud τριακάδος nomen ortum sit, si quis disquirere susceperit, silentibus auctoribus, e verbo τριάκοντα ita deductum esse apparebit, ut spartanum γένος e triginta familiis inter se conjunctis constare videatur. Simile aliquid Athenis exstitisse ex hoc liquet scholiastæ in Platonis *Axiochum*[4] : refert ille Aristotelem dixisse « atheniensium *tribuum* ternas esse partes, quas *trittyes*, sive *phratrias* vocant; *in phratria* unaquaque *gentes* esse tricenas, singulasque *gentes* virorum seu patrumfamilias esse tricenorum. »

Quemadmodum autem familiæ eodem erga eumdem

[1] Vide Grote, *Op. cit.*, t. IV, p. 94, 108 et 109.
[2] Boeckh, *Corp. inscr. græc.*, n° 101, p. 140.
[3] Ross, *Inscr. græc. ined.* — *Fasc.*, III. Berlin, 1845, n° 307, p. 44.
[4] Plato, *Axiochus*, Commentar und Scholien (edit. Bekker), pars III, vol. III, p. 465.

deum cultu in unum collatæ, γένος vel τριακάδα formabant, ita e pluribus γένεσι vel τριακάσι informabatur ὠβή vel φρατρία[1]; nec non tribus *obis* vel *phratriis*, eodem modo inter se conjunctis, nomen φυλή tribuebatur.

Has antiquissimas divisiones, quas apud omnes populos reperimus qui ex eodem stipite originem ducunt, non a Lycurgo factas esse, vix dicere opus est; ab eo servatas esse, etsi *rhetra* non moneret, ex hoc inferre liceret quod ea quæ quasi medullæ populi sunt, nemo ante evertere possit quam vetustatis situ erosæ fuerint. Quot autem Spartani φυλάς habuerint multum inter criticos disceptatum est : qui spartanam rempublicam meram optimi Doriensium status imaginem referre putat Müllerus[2], ut in aliis civitatibus *Hylleis*, *Dymanas* et *Pamphylos* viderat, ita easdem Spartæ divisiones exstitisse affirmat, *Ægidas*que illos, Thebis oriundos, quos ut magnam Spartæ tribum expresse designat Herodotus[3], in *Pamphylorum* φυλῇ insertos esse dicit. Huic opinioni assentitur Thirlwallus[4], qui priores regionis incolas, postquam in lacedæmoniam rempublicam admissi fuerunt, uni tribuum adjunctos esse putat.

Quam nullis illud nitatur argumentis plane ostendit Grotius[5] : sunt alii vero critici, qui *gentilem* Spartano-

[1] Vide Fustel de Coulanges, de *Phratria* in *la Cité antique*, liv. III, ch. I, p. 43, sqq.

[2] O. Mueller, *Die Dorier*, II, 70.

[3] Herodotus, IV, 149,

[4] Thirlwall, *Histoire des origines de la Grèce ancienne*, traduct. Joanne. Paris, 1852, p. 225.

[5] Grote, *Op. cit.*, t. III, p. 283.

rum divisionem cum divisione confuderunt, quæ *vicatim* instituta est, et Pausaniæ[1] locum afferentes, *Limnatas*, *Cynosuras*, *Mesoas* et *Pitanatas*, quatuor Spartæ esse *tribus* contenderunt. Non viderunt illi quidem diversissimas res ita confundi, quum Athenarum exemplo ab hoc errore averti potuissent, ubi e *vicis* divisionem a Clisthene institutam omnino alienam esse videmus ab ea quæ e *familiis* et *gentibus* constabat. Hanc nihilominus commenticiam explicationem plures haud indigni auctores probavere : e quibus Schömannus[2] quinque tribus numerat, sex Bartholomœus[3] Mansoque[4], decem Göttlingius[5], eo quod totidem numerarentur cretenses *cosmi*, lacedæmoniique *ephori* quorum majores quinque et quinque minores.

Tantam hanc difficultatem, cui tot ingeniosi viri offenderunt, non equidem solvere suscipiam, eo magis quod parum illud ad propositum nostrum pertineat. Ex his autem omnibus sententiis duæ sunt demum quæ defendi possunt : aut enim tres dorienses *tribus* servatæ sunt, novique in rempublicam admissi cives in unam earum quasi effusi sunt; aut novæ a novis civibus informatæ *tribus*, veteribus adjunctæ sunt, ut Corinthi, ubi octo, Sicyone, ubi quatuor fuisse compertum habemus[6].

1 Pausanias, III, 16, 9.
2 Schœmann, *Antiquités grecques*, trad. Galuski, p. 247.
3 Barthelemy, *Voyage du jeune Anacharsis*. Hachette, 1873, t. II, appendice, § XIX, p. 453.
4 Manso, *Sparta*. Leipzig, 1805, t. II, p. 122.
5 Vide Kopstadt, *Op. cit.*, p. 67.
6 O. Mueller, *Die Dorier*, t. II, p. 54-72.

Res igitur illa quum enodari non valeat, hæc quæstio subit, quam nondum historicos tractandam suscepisse mihi videtur, scilicet quamobrem Lycurgus in longiore illa *rhetra* de φυλαῖς quidem et ὠβαῖς, non autem de γένεσι vel τριακάσι egerit.

Etsi nullum ad opinionem firmandam auctorem afferre valeam, persuasum habeo factum esse ut per irruptionis tumultum gentiles nexus, qui e cognatione præsertim pendebant, remitterentur : hi enim ὁμόσιτοι vel ὁμόκαπνοι de quibus jam antea actum est, quo modo fieri potuerit ut per difficultates periculaque illius, quæ a septentrionali Græciæ parte ad meridiem effecta est migrationis, semper conjuncti manerent ? Quamobrem societates illas paulatim dissolutas fuisse conjectare licet, quum multo magis dux milites ad se vocare, miles egregium sibi ducem eligere anteponeret, quam nodos illos jungere, qui potius ad rusticantium quam ad bellantium populorum statum pertinebant.

Hanc causam fuisse arbitror cur ne nominentur quidem in *rhetra* τριακάδες. Eas Lycurgus non abolevit, sed, eo quod non confirmavit, graviter concussit, eoque facilius societates quas adamabat jungere potuit, uniuscujusque cooptatione effectas. Obsoletis igitur γένεσι, eo major facta est primorum civium auctoritas doriensium achæorumve, qui, quo divitiores potentioresque erant, eo plures homines in fidem clientelamque suam recipiebant. Quid mirum igitur, quam *patrisfamilias* titulus olim suppeditabat auctoritatem, ad illos venisse qui divitiarum præstantia valerent ?

Sed priusquam videamus quantum ex hac animadver-

sione fructum percepturi simus, necesse est examinemus unde originem ceperint *ilotæ, periœci spartani*que, tres illi in lacedæmonia republica hominum ordines.

Quod ad *ilotas* attinet, si quis unde ortum duxerint interroget, eum observare jubebo apud Achæos servos quidem fuisse, quod etiamsi non pluribus Homeri locis comprobaretur[1], facile conjectaret qui cogitatione ad tempora illa reverteretur, quo superbi Achæi in celsis castellis nihil aliud agebant quam rei militari incumbere, et vilia sordidaque munera plebeculæ committebant. Quamobrem haud cunctanter Müllero[2] assentior, qui *ilotis* adnumerandos esse dicit priores, ab Achæis subactos, Laconiæ incolas.

Eorum paulum mutatam esse conditionem, ita ut agris posthac colendis adhibiti fuerint, non est quod miremur : plures enim apud veteres populos fuisse compertum habemus, qui rem rusticam servis tradiderint, e quibus Πενέστας in Thessalia, Βιθυνούς Byzantii, Κιλλικυρίους Syracusis, Μαριανδύνους in Pontica Heraclea ab auctoribus citatos invenimus[3]. Dorienses autem, qui aliquandiu in Thessalia vixerant, ubi *penestarum* institutionem noverant, postquam Lacedæmone potiti sunt, simile aliquid condidisse natura factum est, atque in hanc conditionem redegisse qui Achæorum jugum excutere obstinate tentaverant.

At, dicet aliquis, non omnis Laconia adhuc subacta

[1] SCHŒMANN, *Antiquités Helléniques*, traduct. Galuski, p. 48.
[2] O. MUELLER, *Die Dorier*, II, p. 15.
[3] HERMANN, *Lehrbuch der griechischen Antiquitäten. — Staatsalterthümer*, XIX, 11.

erat! Quid ad rem? Non illud enim impedit quin Lycurgo referatur hæc institutio, quæ tantum ad spartanam temperandam rempublicam conferebat.

Nec equidem magis *cryptiam*, Aristotelis[1] testimonio nisus, invitis pluribus, ei assignare dubito. In ea autem judicanda, cavendum est ne confundantur tempora, quum aliter aliis temporibus *Spartanos* cum *ilotis* se gessisse manifestum sit.

Ostenderunt enim Müllerus[2], Hermannusque[3], nec indigna quidem argumenta ad rem probandam attulerunt, *cryptiam* antiquitus magis ad exercendos juvenes, quam ad opprimendos *ilotas* pertinuisse. Veri quidem aliquid huic sententiæ inest, sed simul animadvertendum esse puto necessario evenisse ut *ilotæ* erga *spartanos* eodem animo forent quo victi solent erga victores. Quin, si vetera recentioribus conferre licet, eadem voluntate erga Dorienses fuisse mihi videntur, qua olim erga Francogallos Arabes erant : quum enim infensissimis essent animis et nunquam non periculum esset ne seditionem moverent, durissime cum eis agebatur, et si quis eorum paulisper a lege degrederetur, protinus crimine capitali obnoxius fiebat. Hoc quidem in Africa desivit, ut primum sincera fide in ditionem venerunt Arabes; in Laconia autem multo longius duravit et, ut verius dicam, nunquam cessavit,

1 PLUT. *Lyc.*, XXVIII, 2, sqq.

2 O. MUELLER, *Die Dorier*, II, 37-38. — Cf. PLATO, *Leges*, I, 633; VI, 765. — PLUT. *Cleom.*, XXVIII.

3 HERMANN, *De vestigiis institutorum veterum, imprimis atticorum, per Platonis De legibus libros indagandis*, p. 31. — Cf. KOPSTADT, *Op. cit.*, p. 53.

quum natura durissimi essent *spartani*, et magis atque magis oppressi *ilotæ* alienatissimum semper erga dominos animum servarent.

Multo meliore conditione erant *periœci*, ad quorum originem explicandam non parum conferre mihi videtur, modo paulum mutetur, quidam *Panathenaïci*[1] locus : Isocrates enim, quum temporis sui inter optimates populumque disceptationes ad ætatem illam perperam referat, qua spartana instituta fuit respublica, fingit, subacta vix Peloponneso, dissensiones inter primores plebemque ortas esse, quod multo verisimilius inter veteres regionis incolas et Dorienses, ex his quæ vidimus, concludere licet. Refert autem Isocrates a victoribus victos extemplo pulsos esse et extra urbem habitare coactos : quum, inquit, intelligerent Spartani difficile fore ut quieti regerent, si secum habitare tolerarent homines quibus ipsi odio essent, illis jus in communi patria habitandi ademerunt, in vicinasque urbes relegaverunt : hi fuerunt *periœci*. — Se rem hoc modo habuisse, verisimile mihi videtur, non ita tamen ut omnes Achæos *periœcos* factos fuisse contendam; eorum enim plures in *spartanorum* ordinem admissos persuasum habeo; sed indigenarum maximam partem eis merito adnumerat Müllerus[2]. Recte monet Schömannus[3] alias quoque nationes nonnullas, Cynurenses imprimis et Sciritas, quos Spartanis subditos fuisse notum est, *periœcis* adnumerandas esse. Non tamen ab

[1] Isocr. *Panath.*, § 177.
[2] O. Mueller. *Die Dorier*, II, p. 16.
[3] Schœmann, *Antiquités grecques*, trad. Galuski, p. 237.

illa Grotii opinione abhorreo, qui quamdam partem *periœcorum* Dorienses fuisse dicit[3]. Si rem enim attente perspexeris, quanquam civitatis et æqui juris expertes essent, non ita miseranda erat eorum conditio : privilegium enim quoddam habebant exercendarum artium factitandæque mercaturæ, quod Lacedæmone non ita infimi momenti fuisse, permultis collatis testimoniis, ostendit Müllerus[4]. Quamobrem *periœcorum* quosdam locupletissimos fuisse non est quod miremur, qui dignitate quidem *spartanis* inferiores erant, sed vitam multo lautiorem ita agebant, ut illam conditionem nonnullos Doriensium grato animo anteposuisse verisimile est.

Spartani summum quidem imperium exercebant, sed gravibus legibus obstricti : bellicis exercitationibus tempus consumebant, dulcia familiæ gaudia vix prælibare poterant, ob severam disciplinam publiceque cænandi necessitatem omnibus voluptatibus orbabantur, labore fructuoso, qualicumque esset, prohibebantur, nec ulli alii rei cura eis danda erat quam administrandæ reipublicæ.

Hoc profecto vivendi genus quivis alius populus ac Dorienses abnegavisset ; illi autem, qui a multis jam annis nil aliud quam pugnaverant, militaremque vitam nunquam non agebant, rudem illam victus consuetudinem haud gravate acceperunt.

Fieri quoque potuit ut inter Achæorum principes nonnulli in societatem illam admitterentur, cui Lycur-

1 Grote, *Op. cit.*, t. III, p. 295.
2 O. Mueller, *Die Dorier*, t. II, p. 21.

gus rempublicam gubernandam defendendamque tradiderat : quis enim neget illo favore dignos judicatos esse, qui, Doriensibus vix advenientibus, cum eis *fœdus* inierant ?

Ab eorum igitur opinione abhorreo qui *spartanis* solos Dorienses annumeratos fuisse contendunt, nec absimiles ii fuisse mihi videntur collegio cuidam militari, cui liberos viros omnes consociavit Lycurgus, qui severam ab eo indictam disciplinam non detrectaverant. Quæ fuerit illa disciplina non ordine narrabo; non possum tamen illud prætermittere, scilicet plenum jus civium eis adimi, qui ratam in *syssitia* partem afferre non possent.

Ea re eo adducimur ut sententiam expromamus de *agrorum divisione*, quæ Lycurgo vulgo attribuitur : ante omnia dicendum est eam, quod ad me attinet, unam eamdemque videri atque terrarum distributionem, quæ advenientibus in Peloponnesum Doriensibus effecta est, ut fieri solebat antiquitus, quoties regionem in ditionem suam invadentium turmæ redegerant.

Quid mirum ? Lycurgum enim vixisse demonstravimus nono ante C. N. sæculo, tempore quo finem habuisse Doriensium irruptiones antea ostendimus.

Bona inter Dorienses omnes æqualiter divisa fuisse, fictum esse aliquid patefecit Grotius[1], Agidis Cleomenisque ætate excogitatum; egregia ab eo allata argumenta hic referre supervacuum : illud modo addere liceat, non fieri potuisse ut Achæorum primores et

1. Grote, *Op. cit.*, t. III, p. 329.

Doriensium duces, qui pingues jam ante Lycurgum agros obtinuerant, bona sua ad legislatoris nutum aliis distribuenda ultro dimitterent; ut enim de politici sui juris parte, ad restituendam concordiam, æquo animo quis decedat, ita vix quemquam reperias qui propria bona in medio ponere annuat. At, dicet aliquis, forsan ad propositum assequendum vim adhibuit Lycurgus? Quam parum valeat hæc objectio videbis, si consideraveris necessario factum esse, si res ita se habuisset, ut inter *ilotas* relegaret Lycurgus eos ipsos, qui ad subigendam Peloponnesum plurimum contulerant.

Multo igitur satius est dicere legislatorem *spartanorum* cuique distribuisse terræ partem, vel e compascuis agris, vel e campis illis qui ex Achæis quibusdam rebellantibus erepti erant.

Hæc fuit, ut mihi videtur, ἀρχαία μοῖρα illa, de qua loquitur Heraclides Ponticus[2]; idemque locus docet *spartanorum* plures fuisse, qui præter hanc terræ particulam a republica ipsa nulli non concessam, permagna mancipio bona possiderent.

Hoc inter causas adnumerandum esse arbitror cur prædia, primum inter quamplurimos partita, in paucorum manus advenerint : Spartæ enim illud quoque factum est quod ubique fieri solet, scilicet divitias semper ad ditissimum quemque affluere. Quemadmodum ergo quasi necessario fiebat ut *spartanorum* qui ἀρχαίαν tantum μοῖραν haberent, mox propter impendia, quæ singula in doctissimi *Fustel de Coulanges*

[1] Heraclides Ponticus, fr. 2, ap. C. Muellerum, *Fragm. hist. græc.*, t. II, p. 211.

libello[1] enumerata reperias, ad inopiam redigerentur, ita locupletabantur qui, ob divitias, maximam in rerum administratione auctoritatem exercebant.

Illi quidem rudem omnium *spartanorum* vitam agebant, nec suo habitu a pauperrimo quoque civium distinguebantur; sed eo majore lucri amore tenebantur, quod occultandus ille erat affectus, et verisimile est eos maxime omnium utilitatem cepisse e victoriis quas post Lycurgum Lacedæmonios hinc illinc in Peloponneso retulisse compertum habemus; adde quod, quum multos illi clientes haberent, fieri potuit ut quæstum facerent e negotio, a nonnullis suæ familiæ hominibus suscepto, quibus illud non lege vetabatur.

Quid unde evenerit docent historici : *spartanorum* quidem pauperes, sua sorte indignantes, rempublicam miscere tentaverunt; sed divites adeo potentes fuerunt qui *ecclesiæ* jura, Theopompea illa quam novimus *rhetra* contrahere possent; mox eo potestatis venerunt, ut in partes duas divisi fuerint *spartani :* qui priorem efficiebant ὅμοιοι, omnia præoccupabant; altera pars, ex iis conflata qui magno negotio ratam portionem ad *syssitia* afferebant, vix quidquam auctoritatis in republica habebat; mox ipsam ἀρχαίαν μοίραν, quam vendere lex vetabat, oppignerare ad sustinendam vitam coacti, inopia eo magis flagrabant quod labore interdicebantur. Ex hoc magis atque magis increvit

[1] Fustel de Coulanges, *Étude sur la propriété à Sparte.* Paris, 1880, p. 62.

ὑπομειόνων ordo, ut *spartani* paucissimi evaderint, et, aristocratiæ loco quam condiderat Lycurgus, in eam reipublicæ formam quam ὀλιγαρχίαν vocat Aristoteles[1], Sparta mutata fuerit.

[1] Arist. *Polit.*, III, 5, 5.

CAPUT OCTAVUM

QUID LYCURGO IN TEMPERANDA LACEDÆMONIORUM REPUBLICA TRIBUENDUM SIT?

Vidimus in præcedenti capite quæ fuerint Lacedæmone diversa hominum genera; restat ut quas cuique partes in administranda republica attribuerit Lycurgus examinemus, breviterque definiendo explicemus quid regibus, quid senatui, quid comiciis ab illo fuerit impertitum; ephoros qui multo tardius quam novimus auctoritatem adepti sunt, leviter tantum præstringemus.

Jamque omnium primum hæc occurrit quæstio, scilicet unde factum sit ut duæ regiæ familiæ Spartæ reperiantur.

Gelzerus quidem plura bipartiti regni exempla attulit, tum in hoc libello inscripto *De earum quæ in Græcorum civitatibus præter Spartam inveniuntur diarchiarum vestigiis*[1] », tum quoque in altero illo, in

[1] In der bei Curtius Abgange von Göttingen von der dortigen philol. Gesellschaft herausgegebenen Schrift. Gœttingen, 1868.

quo ostendit quantum ad spartanam rempublicam contulerint delphici sacerdotes, quos *Lycurgidas* vocat[1].

Nam præterquam quod plures affert ionicas Asiæ Minoris urbes, ubi duo reges alter e Lycia, alter e Pylia domo una in solio sedebant[2], nonne monet Pausanias tripartitum Argis regnum fuisse[3]? Ultimum hoc exemplum non plurimum quidem valet, quum ad heroica illa tempora pertineat Oreste citeriora; illud autem ita evenisse quid mirum? Natura enim fiebat ut auctoritatem aliquandiu pari imperio exercerent duces gentium illarum quæ, e vario quidem genere ortæ, ad augendas vires, vel aliam ob causam in unum venerant, illudque fecerant quod Græci συνοικίζειν[4] vocabant. In hac igitur societate, reges pari erant potestate, nec alter ex alterius arbitrio pendebat, sed quæ prius communi auctoritate deliberaverant populo exsequenda tradebant.

Idem Spartæ evenisse verisimillimum est : Lacedæmonios enim e diversis generibus fuisse jam vidimus, ipsosque reges non ab eodem stipite ortos esse, ex hoc primum conjectare licet quod Pausanias refert Agiadarum et Eurypontidarum diversa gentilicia sepulcra fuisse[5]. Nemo autem ignorat quanti apud veteres momenti fuerit ut omnium ex eadem familia hominum

[1] Gelzer, *Lykurg und die delphische Priesterschaft* in *Rheinisches Museum*. N. F., t. XXVIII, 1873.

[2] Cf. Curtius, *Hist. de la Grèce*, trad. Bouché-Leclercq, t. I, p. 214.

[3] Pausanias, II, 18, 4.

[4] Gilbert, *Studien zur altspart. Gesch.* : cap. VIII, p. 140 : *Der Synoikismos Spartas*.

[5] Pausanias, III, 14, 2.

reliquiæ una sepelirentur, ne oblata Manibus sacrificia intermitterentur[1]; multumque ergo conferre ad familiarum diversitatem probandam persuasum habeo, quod separatim humarentur Eurysthenis Proclisque posteri.

Non hic locus referendi fabulam quam narrat Herodotus[2], ut bipartiti spartani regni rationem reddat; ostendit enim post Lachmannum Kopstadtus[3] illam narrationem, quam Herodotus, e Spartanorum sermonibus acceptam, litteris mandavit, de geminis Aristodemi filiis, non e rei alicujus vere factæ memoria ortam, sed postea ad explicandam illam rerum laconicarum singularitatem effictam esse.

Eurysthenem et Proclem non ex eodem partu ortos contendit Schœmannus[4], sed ab eodem patre genitos alter e dorica, alter ex ægidea matre, id est e cadmeo genere; refert enim Pausanias[5] Aristodemo Argiam, Autesionis filiam, nupsisse.

Ab eo differt Curtius[6], qui, quum nonnulla dispexisset documenta, quæ regum achæorum in Peloponneso potestatem jam Agamemnonis ætate non ita validam esse comprobarent, multo majorem factam fuisse dissensionem dicit, quum, obtruncato rege, omnes principes sui juris esse voluerunt; illos autem, Doriensibus mercede conductis, inter se prælia inivisse dicit Curtius, donec qui duo vel tres superessent concordiam iis

[1] Fustel de Coulanges, *La Cité antique*, passim.
[2] Herodotus, VI, 52.
[3] Kopstadt, *Op. cit.*, p. 95.
[4] Schœmann, *Antiquités grecques*, trad. Galuski, p. 262.
[5] Pausanias, IV, 3, 4
[6] Curtius, *Histoire grecque*, trad. Bouché-Leclercq, t. I, p. 212.

conditionibus fecerint, ut una regnarent : ex hac igitur sententia achæo genere ambo fuisse spartanos reges.

Paulum dissimilis Gilberti[1] opinio, qui, quum tria Spartæ dignoscat hominum genera, Achæos scilicet, Dorienses et Minyos, quorum primos Polyæni locum prætendens[2], ab Eurysthene gubernatos fuisse dicit, tempore quo Procles Temenusque Lacedæmonem obsidebant, Eurysthenidas vel Agiadas achæos, Proclidas vel Eurypontidas dorienses fuisse contendit; tertium vero Ægidarum genus, a Thebis oriundum, postquam Spartæ aliquandiu regnavisset, ab aliis ambobus solio pulsum fuit, unde evenit ut Lacedæmone posthac regnum bipartitum reperiatur.

Ex his videre licet varias illas de lacedæmoniis regibus sententias e variis opinionibus ortas esse, quibus auctorum quisque Peloponnesum subactam fuisse sibi fingit.

Quarum quæ sit vera admodum difficile est dicere; veri equidem partem unicuique inesse persuasum habeo, quum, ut mihi videtur, non necessario evenerit Peloponnesum a Doriensibus una eademque ratione perdomitam fuisse, et jam animadverterimus factum fuisse ut invadentium turmæ, aliæ a principibus regionis benigne acciperentur, aliæ vi et armis sibi novas terras pararent.

Nos autem qui Lycurgum leges instituentem ostendimus tempore quo, peracta irruptione, in eo erant ut inter se decertarent novi veteresque incolæ, non videmus cur bipartitum illud regnum non ab ipso Lycurgo conditum fuisse contendamus, ita ut altera

[1] GILBERT, *Studien zur altspart. Gesch.*, p. 57-71.
[2] POLYÆNUS, *Strategemata*, I, 10.

familia pro Achæis, altera pro Doriensibus in societate illa inita partem haberet.

Ab ea re non alienum videtur illud quod Cleomenem sacerdoti respondisse apud Herodotum[1] invenimus : *Quum*, inquit, *in Athenarum arcem occupandi causa adscendisset, ad penetrale deæ accesserat consulturus eam. At sacerdos, de sella surgens, priusquam ille per januam intrasset, dicit : « Retrogredere, hospes lacedæmonie, nec in hoc templum pedem pone! Nefas est enim Doriensibus huc intrare. » Cui ille respondit : « At non doriensis sum, mulier, sed achæus!* » Quid ex his verbis concludendum, nisi, ut dixit Hermannus[2], Cleomenem exprimere voluisse se ex Eurysthene illo originem ducere, quem vidimus vetus Achæorum genus referre, dum contra Procles Dorienses figuraret, qui sedem primum in altero Spartæ monte collocaverant? Fœdus inter duos illos diversos populos initum eo significabatur, quod inter præcipua regum munera esset *Jovi Hellanio*, qui, si Gilberto credimus[3], Doriensium, et *Jovi Cœlesti*, qui Achæorum patronus erat, sacrificare.

Lycurgus autem ita omnia inter duas regias familias æquiparavit, ut mox variæ hujus originis memoria fere evanuerit, et vulgo spartani reges ambo ab Heraclidis

[1] HERODOTUS, V, 72 : Ὡς γὰρ ἀνέβη ἐς την ἀκρόπολιν μέλλων δὴ αὐτὴν κατασχήσειν, ἤϊε ἐς τὸ ἄδυτον τῆς θεοῦ ὡς προσερέων· ἡ δὲ ἴρεια ἐξαναστᾶσα ἐκ τοῦ θρόνου, πρὶν ἢ τὰς θύρας αὐτὸν ἀμεῖψαι, εἶπε, « ὦ ξεῖνε Λακεδαιμόνιε, πάλιν χώρεε μηδ' ἔσιθι ἐς τὸ ἱρόν· οὐ γὰρ θεμιτὸν Δωριεῦσι παριέναι ἐνθαῦτα. » Ὁ δὲ εἶπε, « ὦ γύναι, ἀλλ' οὐ Δωριεύς εἰμι, ἀλλ' Ἀχαιός. »

[2] HERMANN, *Lehrbuch der griechischen Antiquitäten. — Staatsalterthümer*, XXIV, 5.

[3] GILBERT, *Studien zur altspart. Gesch.*, p. 140.

oriundi habiti sint. Ceterum non rara sunt exempla hominum, quin etiam populorum, quibus stirpem manifesto falsam Græci attribuebant; nonne enim vulgo Achæos, qui Peloponnesum multo ante Doriensium adventum incolebant, Ionesque, quos ex Asia navibus Ægeum mare transnantes ostendit Curtius, ex eodem stipite atque Dorienses, qui ultimi in inferiorem Græciam convenerunt, profectos esse contendebant? Quid mirum igitur Spartæ utrumque regem ab Hercule prognatum haberi, quum contra alter ab Hylleis, alter ab Achæis genus duceret?

Lycurgus autem, quemadmodum utriusque regis paria jura effecit, ita curavit ne inter se ita conjungerentur, ut omnino aboleretur illa, quam tantum ad temperandam rempublicam proferre vidimus, inter reges dissensio; quamobrem de connubiis inter homines mulieresque amborum familiarum interdixit. Rem ita habitam esse illud manifestat quod animadvertit Kopstadtus[1], scilicet, quum in utraque gente non raro factum esse constet, ut juvenes puellas propinquas sibi, seu consobrinas, seu neptes ducerent, nullum ullius matrimonii inter utriusque familiæ regiæ posteros pacti vestigium reperiri posse.

Lycurgo verò res ex proposito cessit, et Spartanorum moribus ita insitum fuisse videmus a duobus omnino diversis familiis imperium exerceri, ut maximam apud cives indignationem excitaverit Cleomenes III, quum fratrem suum Euclidem regni socium sibi cooptavisset[2].

[1] Kopstadt, *De rerum laconicarum constitutionis Lycurgeæ origine et indole*, p. 96.

[2] Plut., *Cleomenis vita*, XI, 2.

Nobis autem, postquam regni spartani institutionem examinavimus, videndum quæ regibus jura Lycurgus attribuerit: jamque omnium primum minime contemnendam esse arbitror Mülleri[1] sententiam, qui regiam apud Lacedæmonios potestatem haud ita a regia Achæorum potestate, quam in Iliade invenimus, differre contendit. Attamen nonnulla in spartano regno reperio, quæ ab ipso suo ingenio duxisse legislator mihi videtur, quæque rem præstringendo signabo. Vix enim, ut opinor, quisquam sperabit fore ut singula regum jura enumerem, quum illa apud Herodotum[2] Xenophontemque[3] fusius expressa invenias; his autem examinatis, hæc extemplo sententia occurrit, scilicet regum honores multo majores fuisse quam jura, dignitatemque quam potestatem : ut enim heroicorum regum potentiæ partem ad senatum, posteriusque ad ephoros translatam fuisse videmus, ita incolumes et prope intacti perdurarunt regum honores, inde ab antiquissimis reipublicæ Lacedæmoniorum temporibus ad eam ætatem, qua prorsus dissoluta est vetus rerum laconicarum constitutio. Hæc autem a Lycurgo ita disposita fuisse mihi videntur, eo quod ei in animo erat non tam ut reges metuendo imperio essent, quam ut benignitate diversa lacedæmonii populi elementa coagmentarent, curamque haberent ne cujusquam, seu *periœcorum*, seu *ilotarum* conditio in pejus mutaretur. Non video enim quomodo avidi iidemque potentissimi

[1] O. Mueller, *Die Dorier*, II, 93.
[2] Herodotus, VI, 56-59.
[3] Xen. *Resp. Laced.*, cap. XIII-XV.

ὅμοιοι vim in inferiores reipublicæ ordines non fecissent, nisi eos cohibuisset honoratissima, immutabilisque regum auctoritas; eam autem magis e reverentia quam e timore initium habuisse hoc ostendit, quod eis Lycurgus omnia quæ potius ad coercitionem quam ad benevolentiam attinebant ademerit : verbi gratia, de capitalibus rebus non inquirebant.

Illud inter causas adnumerandum esse mihi videtur, cur omnes adeo reges in honore habuerint.

Nec parum ad rem conferebant sacerdotalia eorum munera, quæ magis nota sunt quam ut in eis immorer. Hujus reverentiæ, qua reges colebantur, testimonium manifestum præbent magnifica illa funera, ad quæ totius Laconiæ populi conventus fiebat; illud lege præcipi compertum equidem habeo; hanc autem legem Lycurgus non tulisset, nisi in mente habuisset reges quasi juncturam fore diversorum illorum quæ in Laconia videmus elementorum.

Quod ab bellicas res attinet, etiamsi ingentem spartanis regibus potestatem primitus concessam fuisse Herodotus non expresse diceret[1], ex hoc inferremus quod tempore illo, quo nondum solidis fundamentis nitebatur spartana dominatio, necesse erat arctiori imperio conglobari militares vires; hanc ceterum nostram conjecturam illud firmat quod, paucis post acceptas leges annis, Lacedæmonii non Laconia modo tota, sed Messenia potiti fuerint. Illam posterius regum potestatem multum imminutam fuisse, et ad ephoros

[1] HERODOTUS, VI, 56.

obvenisse, quid ad rem? Nam spartanam constitutionem qualem tantum Lycurgus instituerit depingendam suscepimus.

Ad senatum ergo respicere satius erit, quem quidem a Lycurgo creatum nonnulli tradunt[1], at multo melius est ab eo ordinatum fuisse dicere : si quis enim Iliadem vel Odyssea volutaverit, videbit homericos reges interdum *βουλήν*, id est senatum, consiliarium vocare solitos esse, animadvertitque Schœmannus[2] *γέροντας* non tam senes designare, quam qui apud cives ingenti auctoritate erant, ita ut eos hereditario quodam jure, vel regum delectu ad hunc honorem pervenisse verisimillimum sit; ceterum non perpetuo munere functi esse videntur, quum ex arbitrio rex eos aut citaret aut dimitteret.

Spartæ contra, definitus erat senatorum numerus, quem e triginta senibus compositum fuisse *rhetra* docet; imo, a populo eligebantur, nec quisquam, ut videtur, priore spartanæ civitatis tempore, a nobili illo certamine excludebatur, in quo suprema dignitas optimi cujusque præmium erat.

Expresse narrat Plutarchus[3] quo electio modo fieri soleret : quæ licet ab Aristotele[4] puerilis vocetur, hujus ætatis effigiem præ se fert, qua simplices adhuc erant animi, nec ad fraudem propensi. Posterius spartanos *ὁμοίους* ea abusos fuisse, ut quem vellent

[1] HERODOTUS, I, 65. — PLUT. *Lyc.*, cap. V. — Cf. cap. XXVI.
[2] SCHŒMANN, *Antiquités grecques*, traduct. Galuski, p. 57.
[3] PLUT. *Lyc.*, XXVI, 3.
[4] ARIST. *Polit.*, II, 6, 18.

cooptarent, verum est. Quis autem non videat felicissime a Lycurgo statutum fuisse, ut non jam reges sed comitia magistratus illos crearent, qui non e genere civium sumebantur, auctoritate vel facultatibus cæteris superiore, sed de universo populo, ut quisque pluris valeret.

Senatores per omnem vitam summam in republica potentiam exercebant, et, ut dicit Plutarchus[1], *mortis et ignominiæ civium, aliarumque maximarum rerum erant domini.*

Novimus enim inter prima eorum munera judicia de causis capitalibus annumeranda esse, eisque præsertim commissum ut de gravissimis reipublicæ negotiis deliberarent; quo autem melius eorum notaretur auctoritas, Lycurgus eis pari suffragii jure reges adjunxit.

Talis erat, breviter quidem adumbrata, senatus institutio; quam a legislatoris voluntate deflexisse non ignoro, conciliumque factam esse optimatum, quum ὁμοίων et ὑπομειόνων ordines exorti sunt. Theopompi jam tempore, adeo hominibus e paucis conflabatur senatus, ut addititia illa *rhetra* lata fuerit qua comitiorum jura rescindebantur[2]; magis autem atque magis adeo venit in principum manus, ut ex eo excluderetur quisquis divitum hominum sodalitii non esset. Hoc exprimit Aristoteles dicendo δυναστευτικήν esse senatorum electionem; δυναστείαν autem illam reipublicæ formam esse dicit philosophus in qua digni-

[1] Plut. *Lyc.*, XXVI, 2 :... κύριον ὄντα καὶ θανάτου καὶ ἀτιμίας καὶ ὅλως τῶν μεγίστων.

[2] Plut. *Lyc.*, VI, 7.

tates omnes hereditario quodam jure a quibusdam familiis, cæteris exclusis, occupantur [1].

In his autem immorari quid prodest, quum nobis unice propositum sit mera Lycurgi instituta considerare? Ab eo creata fuisse Spartanorum comitia vix quisquam contendat, quum, ut apud cæteros Græciæ populos, ita apud Dorienses publicas conciones exstitisse compertum habeamus [2]; eas autem ab illo ad certam quamdam normam redactas fuisse, multoque majori potestate donatas, longior illa *rhetra* monet, quæ nobis jam tantum lycurgeæ constitutioni cognoscendæ profuit [3]. Heroicis enim temporibus in concionem vocabatur populus, non tam ut sententiam suam proferret, quam ut quid rex decreverit resciret. Adde quod tum demum edicebatur conventus, quum id regi principibusve placuerat.

Eam Lycurgus concionem jussit exiguis temporum intervallis, quoque mense convocari, *ὥρα ἐξ ὥρας ἀπελλάζειν*, ut dicit *rhetra*, id est, ut videtur, quoties luna implebatur.

Quin, ipsum locum quo haberetur concio definivit, *μεταξὺ Βαβύκας καὶ Κνακιῶνος*. Inter criticos quidem de horum verborum significatione multum disceptatum esse jam vidimus; quanquam autem gratum foret accurate locum dignoscere ubi congregabatur spartanus populus, illud præsertim nostra interest ex his verbis didicisse, Lycurgum legem tulisse, ne alibi atque intra

1 Arist. *Polit.*, III, 5, 7.
2 Schœmann, *Antiquités grecques*, trad. Galuski, p. 31-34, 35.
3 Plut. *Lyc.*, VI, 2.

fines urbis comitia fierent. Hæc enim significatio vocabulorum μεταξὺ Βαβύκας καὶ Κνακιῶνος. Adde quod illud argumentum haud parvi momenti esse videtur, ut eorum refellatur opinio qui *periœcos* concionis participes fuisse contenderunt[1] : quo enim modo illi e longinquis Laconiæ partibus in urbem, desertis negotiis, ad jus exercendum, quoties coibat populus, se conferre potuissent?

Si quis autem credat laconicam concionem, non ab *ecclesiis* illis differe quales heroïcis temporibus habitas esse videmus, extrema illa *rhetræ* verba necesse est consideret δάμῳ δὲ κυρίαν ἦμεν καὶ κράτος, quibus significatur quanta penes populum in gubernanda republica auctoritas fuerit. Etenim, neque reges, neque senatores quidquam per se ipsos conficere poterant, concioque e sua voluntate aut probabat aut antiquabat proposita; quæ autem tum demum ut lex valebant, quum eis suffragata fuerat *ecclesia*.

Talem quidem populo tribuerat potestatem Lycurgus; non tamen is erat, qui ignoraret sæpissime fieri ut *ecclesiis* prudentia in consulendo, constantiaque in rebus publicis administrandis deficerent. Quamobrem diligentissime ab eo cautum fuit, ne immodico populus frueretur imperio, interdixitque ne quisquam, nisi publico aliquo munere fungeretur, in concione verba faceret.

Hæc ita a Lycurgo disposita fuerant et ita temperata ut imperii partem quisque exerceret. Unde igitur evenit

[1] Schœmann, *Antiquités grecques*, traduct. Galuski, p. 271.

ut majorem sibi assumere auctoritatem populus voluerit? Necesse est in memoriam revocemus ea quæ modo de agris diximus a Lycurgo iis concessis, qui se severis *spartanorum* institutis obsecuturos esse pollicebantur : quorum alios divites, alios pauperes fuisse vidimus; qui autem illud demum possidebant quod cuique æqua portione impertitus erat Lycurgus, quum non satis haberent unde mulierem puerosque alerent, providerentque futurum esse ut brevi ad inopiam redigerentur, omni ope, ut opinor, enisi sunt ut rempublicam ad proprium commodum immutare possent. Verisimile est igitur inter plebem, quæ majora expostulabat jura, primoresque, qui auctoritatis suæ tenaces erant, factam esse contentionem ; hos autem præstitisse, ex illa *rhetra* videre licet quam, Polydoro Theopompoque regnantibus, longiori lycurgeæ *rhetræ* subscriptam fuisse diximus : *Sin pravum quid populus statuerit, seniorum regumque esto discessionem facere*[1], id est concionem dimittere, atque id quod optimum videtur assumere.

Hæc dicta sunto ut probabile esse videatur, tum populum sua jura extendere voluisse, tum devictum fuisse ab illis hominibus qui, propter divitias, omnia senatus munera præoccupaverant ; hi sunt qui posthac totam in republica auctoritatem exercuerunt.

Hos posterius μικρὰν ἐκκλησίαν instituisse persuasum habeo : de qua judicanda quum nihil præter Xeno-

1 Plut. *Lyc.*, VI, 7 : « Αἱ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος ἕλοιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν. »

phontis[1] locum supersit, nec quidquam aliud restet quam conjectanea facere, simile aliquid mihi videtur concilio cuidam, in quod nulli alii atque ephori, senatores et forsan aliquot e primoribus conveniebant. Nam quod Schœmannus[2] contendit difficile fore ut ille paucorum hominum conventus ἐκκλησία vocetur, admodum parvi momenti argumentum est, quum contra natura evenire mihi videatur ut, ingenti populi parte propter inopiam e concione ejecta, optimatibusque omnem exercentibus potestatem, nomen *ecclesiæ* saltem primores civium concilio illi servaverint, cui nisi magna res in quæstione esset (tum enim μεγάλη ἐκκλησία ciebatur), rempublicam regendam commiserant. Adeo a legislatoris voluntate deflectebant, qui nullum aliud negotium cives agere jusserat, quam negotia publica curare.

Nec parum quidem ad turbandum ordinem a Lycurgo institutum, ephoros contulisse persuasum habeo. De hac ego magistratura pauca verba faciam, etsi Müllerus eos Lycurgo antiquiores fuisse contenderit, docteque, non paucis collatis testimoniis, demonstraverit ephoros in aliis quoque doricis civitatibus fuisse[3]. Tantum autem hi *fori rerum venalium curatores* differebant a potentibus illis magistratibus, qui in spartana republica omnia ad nutum inflectebant, ut illos ad rem nostram nullo pertinere modo merito contendam; nec

[1] Xén. *Hell.*, III, 3, 8.
[2] Schœmann, *Antiquités grecques*, trad. Galuski, p. 272.
[3] O. Mueller, *Die Dorier*, II, 107, 108.

magis eo moveor quod apud Herodotum[1] Xenophontemque[2] legitur, ephoros a Lycurgo simul atque senatores institutos fuisse. Illud enim ex eo nascitur, quod auctores illi, omnia quæ in lacedæmonia republica animadverterent, ex eodem fonte delapsa esse putarent. Si quis autem rem sedulius perspexerit, videbit omnia in republica qualem Lycurgeam fuisse vidimus optime ponderari, aliquid contra omnino alieni, creatis ephoris, in eam intromissum fuisse. Maxime igitur probabilis mihi videtur, quanquam a Dumio[3] impugnetur, Schæferi[4] Steiniique[5] sententia, qui quidem Platonis[6], Aristotelis[7], Plutarchique[8] testimonio fulti, ephoros, Theopompo Polydoroque regnantibus, post primum Messeniæ bellum civilia hæc adeptos esse jura contendunt, quæ tantæ eorum potestatis initium fuerunt; non enim multum absum quin putem eos magistratus ex eadem causa ortos esse, quæ Theopompeam genuit *rhetram*. Quid enim? in dissensionibus illis, quas inter popellum primoresque factas esse vidimus, verisimillimum est ab optimatibus ad plebem defecisse reges : qui enim in senatu duo tantum suffragia habebant, rem pro-

[1] Herodotus, I, 65.
[2] Xen. *Resp. Laced.*, VIII, 3,
[3] G. Dum. *Entstehung und Entwickelung des spartanischen Ephorats.* Innsbruck, 1878.
[4] A. Schaefer, *De ephoris lacedæmoniis commentatio.* Gratul. dissert. Lipsiæ, 1863.
[5] Stein, *Entwickelung des spart. Ephorats* in *Jahresbericht des Gymn. in Konitz*, 1870, p. 4.
[6] Plat. *De Legibus*, III, p. 692.
[7] Arist. *Polit.*, V, 9, 1 (alias VII, 9, 1).
[8] Plut. *Lyc.*, VII, 1.

fecto ægre ferebant, et quasi necessario evenit ut majorem auctoritatem adipisci quærerent. Refert Pausanias[1] se Lacedæmone, prope Orestis sepulcrum, Polydori regis effigiem vidisse, cui tantum honoris præ cæteris regibus, Lacedæmonii tribuerunt, ut, quæ publice obsignari necesse esset, ea Polydori imagine obsignarentur; ille autem, quem carissimum populus habebat, a Polemarcho quodam interfectum fuisse rursus tradit Pausanias[2], miraturque quod mortuo trucidatori monumentum Spartani erexerint.

Res facile explicabitur, si concedatur Polydorum a Polemarcho, clam jubentibus optimatibus, interfectum fuisse; qui enim, quum suum huic sceleri consortium celare vellent, ne populi voluntatem a se alienarent, honores quos novimus mortuo regi tribuendos curaverunt; non ea tamen nequitia usi sunt, ut interdicerent ne Spartæ interfector sepeliretur. Propositum autem suum primores assecuti sunt, quum Polydori collega rex Theopompus, metu perculsus, additiciam *rhetram* tulerit, ephorosque creari siverit.

Fuerunt inter criticos, minimeque contemnendos, Hermannum[3] Kopstadtumque[4] dico, qui ephoros populi patronos fuisse contenderent, ut jura ejus contra reges et senatum tuerentur; hæc autem sententia parum mihi videtur cum jurejurando illo congruere, quo

[1] Pausanias, III, 11, 10.

[2] Pausanias, III, 3, 3. — Cf. VIII, 52, 1.

[3] Hermann, *Antiquitatum laconicarum libri quatuor.* Marburg, 1841.

[4] Kopstadt, *De rerum laconicarum constitutionis origine et indole*, p. 120.

ephori regesque singulo mense obstringebantur[1]: promittebat enim rex, se regnum e legum latarum præcripto gesturum esse, ephori contra spondebant civitatem regnum inconcussum servaturam esse, siquidem rex suum sancte servaret jusjurandum.

Si quis autem interroget unde fieri potuerit ut illud, quod apud nullum alium populum reperimus, in Spartanorum morem venerit, non multum absum quin illud Polydori cædi popularibusque seditionibus, quas vidimus, alludere contendam. Quid mirum enim Theopompum terrore perculsum, contumeliosam illam necessitatem ab optimatibus accepisse, eamque sequentibus regibus tradidisse?

Ex his videre licet ephororum potestatem ab optimatibus creatam fuisse et ita institutam, quo facilius auctoritatem exercere possent. Quod enim cuivis civium hæc dignitas patebat, ephorique ab *ecclesia* eligebantur, non opinioni nostræ adversatur, quum divitibus facile esset eos corrumpere, quoties populi suffragia unum e multis ad honorem illum evexerant[2].

Hæc docent quantum a mera Lycurgi constitutione abhorreant ephori, qui multo magis ad paucorum administrationem pertinent, quam ad mixtam illam et temperatam quam effingere conati sumus rempublicam.

[1] Xen. *Resp. Laced.*, XV, 7.
[2] Arist. *Polit.*, II, 6, 16.

CAPUT NONUM

DE LYCURGEIS PRÆSCRIPTIS QUÆ AD VITAM PRIVATAM PERTINENT.

Jam nunc vidimus quæ fuerint Lycurgi partes in ordinandis variis populorum illorum elementis, qui Lacedæmonem nono ante C. N. sæculo convenerant, et definire conati sumus quid cuique in regenda Spartanorum republica attribuerit. Restat ut latas ab eo leges examinemus, quæ ad privatam civium vitam componendam pertinent. Jam enim animadverterunt historici Lycurgum præsertim operam exercuisse in severa vivendi ratione omnibus *spartanis* pariter imponenda[1], unde non ita absimiles illi mihi videntur militibus, immunito loco sedentibus, quibus semper excubandum, ne in eos vicini hostes impetum faciant.

Non multum abesse quin res ita se habeat compertum habebit, qui consideraverit *spartanis*, Lycurgeo tempore, cavendum fuisse ne ab Achæis deprehenderentur

[1] GROTE, *Histoire de la Grèce*, traduct. de Sadous, t. III, p. 317.

qui Amyclis, Geronthris, vel in vicinis nondum subactis urbibus habitabant[1]. Adde quod qui jugum impatienter subibant devicti populi, in *ilotarum* conditionem redacti, nil aliud quam præsentem rebellandi occasionem exspectabant, nec minus quam externi hostes metuendi erant.

Hæc dicta sunto, quo melius quis intelligat quam omnia tum in spartana republica ad bellum intenderentur; rem ceterum adeo plane significaverunt veteres scriptores Thucydides[2], Xenophon[3], Plato[4], Aristoteles[5], Isocratesque[6], ut in ea immorari supervacuum sit.

Ad hoc autem legislatoris propositum assequendum, nihil tantum profuisse mihi videtur quam publicarum cœnarum institutio, quæ quidem apud plures Italiæ Græciæve populos, si cum ea sacrata convivia confundas, invenitur[7], a Lycurgo tamen ita immutata est, ut eam Spartanis vere peculiarem esse contendere possim. Non equidem ignoro Müllerum, qui de *syssitiis* egregie compluribus locis disputavit, illud quod apud Græcorum plerosque reperit, Lacedæmoniis ut aliquid proprium abnegare[8], nec infitior veterem apud Dorienses usum fuisse publice cœnare; quod vero ad Spartanos attinet, fieri potuit ut in seditionibus quas enarravimus

1 Pausanias, III, 2, 6.
2 Thucydides, I, 70.
3 Xén. *Resp. Laced.*, XII, 7.
4 Plato, *Leges*, I, p. 633.
5 Arist. *Polit.*, VII, 2, 5. — (Alias IV, 2, 5).
6 Isocr. *Arép.*, § 7.
7 Fustel de Coulanges, *La Cité antique*, p. 182.
8 O. Mueller, *Die Dorier*, t. II, p. 269.

obsoleverit ille mos, nam e manifestis auctorum locis apparet a Lycurgo *syssitia* condita fuisse : *Superioribus temporibus*, inquit Herodotus[1], *legibus Spartani usi erant pessimis fere omnium Græcorum*. Idemque ita pergit[2] : *Lycurgus leges mutavit cœnasque publicas instituit.* Expressior adhuc Xenophon est in suo *de Republica Lacedæmoniorum*[3] libello : *Quum*, inquit, *Lycurgus Lacedæmonios vidisset pro cæterorum Græcorum consuetudine domi suæ victitantes, quumque animadvertisset in his plurima ignave geri, cœnas eorum in publicum eduxit, quod ea ratione futurum existimaret ut minime imperata transgrederentur.*

Hæc veterum testimonia recentiorum criticorum[4] judicio comprobata fuisse nemo jam mirabitur, quum viderit quam congruat *syssitiorum* institutio cum eis quæ jam de spartana republica novimus. Hæc primum *ἀνδρεῖα* vocata fuisse Ephorus[5] Aristotelesque[6] docent, verbum autem illud significat his epulis homines tantum adesse; multo vero difficilius est verbi *φιδίτια* rationem reddere. Ait Plutarchus[7] *φιδίτιον* pro *φιλίτιον*

1 Herodotus, I, 65, 2 : Τὸ δὲ ἔτι πρότερον τούτων καὶ κακονομώτατοι ἔσαν σχεδὸν πάντων Ἑλλήνων.

2 Herodotus, *Ibidem*, 5 : Μετέστησε τὰ νόμιμα πάντα.., καὶ συσσίτια.. ἔστησε Λυκοῦργος.

3 Xén. *Resp. Laced.*, V, 2 : Λυκοῦργος τοίνυν παραλαβὼν τοὺς Σπαρτιάτας ὥσπερ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας οἴκοι σκηνοῦντας, γνοὺς ἐν τούτοις πλεῖστα ῥᾳδιουργεῖσθαι, εἰς τὸ φανερὸν ἐξήγαγε τὰ συσκήνια, οὕτως ἡγούμενος ἥκιστ' ἂν παραβαίνεσθαι τὰ προσταττόμενα. — Cf. Plut. *Lyc.*, X, 1.

4 A. Bielschowski, *De spartanorum syssitiis*. Dissert. inaug. in Universitate Viadrina, 1869.

5 Ap. Strabonem, X, 4, 18.

6 Arist. *Polit.*, II, 7, 3.

7 Plut. *Lyc.*, XII, 1,

dici, littera Λ in Δ mutata, quod in his epulis amicitia (græce φιλία) benevolentiaque regnarent, rursusque suspicatur usurpari φιδίτιον ob parcimoniam frugalitatemque hominum publice cœnitantium. Ab alterutra opinione discedit Schömannus, qui, quum verbo φιδίτιον eamdem atque verbis ἵζω, ἱδρύω originem attribuit, tum illud fieri dicit eo quod, ut apud homericos heroas, ita apud *spartanos* mos esset considere ad prandendum, quum contra usus decumbendi ex Oriente posterius in Græciam et in Spartam ipsam devenerit[1]. Erudito Bielschowskio, qui rem totam exploravit, aliter visum est: derivationem enim admittit, quam a quibusdam propositam fuisse dicit Plutarchus, φιδίτιονque declinat ab ἔδειν. Ita, inquit, res evenisse videtur : Spartani[2] *syssitia* initio, simpliciter ab eo quod revera erant, appellaverunt; erant autem cœnæ virorum, id est ἀνδρεῖα φιδίτια. Brevitatis causa, homines modo ἀνδρεῖα, modo φιδίτια dixisse, sæpius autem ἀνδρεῖα, quod duorum verborum gravius erat, consentaneum est; et propterea, apud antiquos scriptores, vox ἀνδρεῖα non raro legitur; postea, quum vocabuli φιδίτιον origo obscura facta esset, nec jam ejus vis intelligeretur, hoc verbum pro *syssitiorum* nomine proprio habebatur : quo facto, fieri non potuit quin, adjectivo ἀνδρεῖα tanquam supervacuo omisso, substantivum solum ab hominibus usurparetur. Huic ego opinioni assentiri non dubito; Plutarchi tamen enodationem, etsi ab ea auctoris consuetudine ortam

[1] Schœmann, *Antiquités grecques*, trad. Galuski.
[2] Bielschowski, *Op. cit.*, p. 12.

esse putem, qui nihil non ad moralia refert, veri partem includere persuasum habeo, eo quod aperte pateat hæc a Lycurgo instituta fuisse convivia, tum ut sobrii cives viverent, tum ut amicitiæ nodos communi illo commercio jungerent. Adde quod, mixtis senibus juvenibusque, et plerumque pueris in societatem vocatis, ut utilitatem e sapientium hominum colloquiis caperent, necesse erat quemque sedulius facta dictaque sua circumspicere, nedum genio suo libidinose inserviret. Quum autem conviva quisque ex omnium cooptatione adscisceretur, natura fiebat ut mutuum invicem auxilium inter se præstarent, qui ejusdem *syssitii* participes erant; quantum illud ad rem militarem profecerit, vix opus est dicere : quo quis enim commilitibus magis confidere posse arbitratur, eo fortiorem se in communi periculo gerere solet.

Quid rationis inter *syssitia* spartanumque exercitum intercesserit enucleate ostendit Bielschowskius[1], qui illam partem quamdam non ita magnam fuisse militiæ dicit. Quæ vero e *vita Agidis*[2] apud Plutarchum difficultas oritur, scilicet omnes *spartiatas* in quindecim ducentorum vel trecentorum hominum *syssitiis* divisos esse, solvit docendo probabiliter fieri ut in Plutarcheo illo textu mendum exstet : locum enim qui vulgo scribitur : σύνταξιν δὲ τούτων εἰς πεντεκαίδεκα γενέσθαι φιδίτια, κατὰ τετρακοσίους καὶ διακοσίους, ita legit : σύνταξιν δὲ τούτων εἰς

[1] Bielschowski, *Op. cit.*, p. 30. — Cf. Trieber, *Forschungen zur spartanischen Verfassungsgeschichte*, cap. I: *Die spartanische Heeresorganisation.*

[2] Plut. *Agidis vita*, VIII, 2.

τριακόσια γενέσθαι φιδίτια κατὰ πεντεκαίδεκα. Fieri enim potuit ut librarius quidam numeros πεντεκαίδεκα et τριακόσια inter se permutaverit. Si quis deinde, inquit[1], pro τριακοσίους, τετρακοσίους calami lapsu, vel quia obiter legit, perscripsit, tertium, qui discrepantiam inter civium numerum et *syssitiorum* frequentiam animadverterat, ut eam mitigaret, διακοσίους addidisse consentaneum erat. Hæc ergo nos docent ita confirmari Hermanni[2] sententiam, qui *syssitia* dicit primam eamdemque minimam non minus exercitus quam reipublicæ lacedæmoniæ divisionem esse.

Si quis autem interroget quid legislator sibi proposuerit, quum instituerit, primum ut *spartanorum* nemo a publica cœna abstinere posset, deinde ut suam quisque partem in *phiditia* afferret, necesse est in memoriam revocet ea quæ, in anteriore capite, de lycurgea Laconiæ partitione dicta fuerint. Vidimus enim tempore illo quo Noster rempublicam suscepit ordinandam, alios pauperrimos fuisse, alios ditissimos, Achæorum enim principibus, vel Doriensium ducibus jam antea magnis opibus potitis : absurdus quidem fuisset Lycurgus, si præscripsisset locupletes homines sua bona in medium ponere; illud saltem voluit ut idem omnibus vivendi modus, qualicunque fortuna ac conditione essent, imponeretur. Nil autem ad rem assequendam tantum contulit quam *syssitia* de quibus merito Xenophon[3] dicit : *Quum ipse instituisset ut*

[1] Bielschowski, *Op. cit.*, p. 31.

[2] Hermann, *Lehrbuch der griechischen Antiquitäten.—Staatsalterthümer*, XXVIII, 22.

[3] Xén. *Resp. Laced.*, VII, 2 : Καὶ γὰρ δή τί πλοῦτος ἐκεῖ γε σπουδαστέος

omnes æqualem victus portionem conferrent, eademque vivendi ratione uterentur, hoc effectum fuerat ut opes voluptatis causa non expeterentur.

At, dicet aliquis, quomodo factum est ut ea quæ in Creta vidisset, Spartæ non institueret Lycurgus, scilicet ut cives non de suo, sed publico sumptu alerentur? Quum nihil apud auctores quod ad responsum pertineat reperiatur, illud ego approbo, scilicet Lycurgum instituisse neminem æquo jure civem esse, nisi *syssitiis* partem suam afferre posset, eo quod intellexit fieri solere ut minus operam impendat ad rempublicam sapientia gubernandam, qui nullius rei possessor est, sedulo contra concordiæ servandæ hominem frugi consulere. Nullam igitur aliam causam invenio, cur statuerit turpe esse terram vendere, omninoque lege vetuerit vendere *ἀρχαίαν μοίραν*, id est laconici soli partem cuique, sive dives, sive pauper sit, pariter distributam : notatione enim dignum est a legislatore sancitum fuisse ut ipsius Laconiæ fructus, non autem argenti summa, ad *syssitia* conferendi essent ; adeo omnia disposuerat ut cives semper iisdem possessionibus permanerent.

Non multis post Lycurgum sæculis *syssitia* in deterius mutata esse non equidem ignoro [1]. Ea enim a prima simplicitate avocata jam viderant Aristoteles [2] Dicæarchusque [3]; imo, plane neglecta fuisse, vel summa

ἔνθα ἴσα μὲν φέρειν εἰς τὰ ἐπιτήδεια, ὁμοίως δὲ διαιτᾶσθαι τάξας, ἐποίησε μὴ ἡδυπαθείας ἕνεκα χρημάτων ὀρέγεσθαι;

[1] BIELSCHOWSKI. *De Spartanorum syssitiis*, p. 27.

[2] ARIST. *Polit.*, II, 6, 21.

[3] DICÆARCHUS, ap. ATHENÆUM., IV, 141, B.

luxuria depravata, tertio ante C. N. sæculo e pluribus Persæi, Phylarchi, Sphæri, Molpidosque[1] locis compertum habemus : Lycurgeo autem tempore, non dubium est quin multum ad sobrietatem et ad militares mores retinendos contulerint.

Spartanos exercitui cuidam haud absimiles fuisse jam diximus; in re paulum immorari, ad eorum vitam melius cognoscendam, necesse est. Quid enim Plutarchus[2]? « *Disciplinæ,* inquit, *subjecti erant spartani, donec ad virilem ætatem pervenirent. Neque enim cuiquam licebat ut pro arbitrio suo viveret, sed in urbe perinde atque in castris præscriptam unusquisque vivendi versandique in publico rationem habebat. Omninoque existimantes se, non sui ipsorum, sed patriæ esse, nisi quid aliud cui esset negotii injunctum, semper vel pueros visebant, eosque aliquid utile docebant, vel ipsi a senioribus discebant* ».

Ex his ergo apparet, id quod quasi totius lycurgeæ constitutionis fundamentum est, scilicet debere civem non sibi, sed reipublicæ vivere. In illa re e pueris *spartani* erudiebantur : singulas publicæ educationis leges pertractare supersedebimus quum illas apud Xenophontem[3] Plutarchumque[4] fusius explicatas reperire sit. Id demum cum Kopstadto[5] dicere liceat, verisimile

[1] De quib. vide ap. Athenæum, IV, 140.

[2] Plut. *Lyc* ,XXIV, 1 : Ἡ δὲ παιδεία μέχρι τῶν ἐνηλίκων διέτεινεν. Οὐδεὶς γὰρ ἦν ἀφειμένος ὡς ἐβούλετο ζῆν, ἀλλ' οἷον ἐν στρατοπέδῳ τῇ πόλει καὶ δίαιταν ἔχοντες ὡρμισμένην καὶ διατριβὴν περὶ τὰ κοινὰ καὶ ὅλως νομίζοντες οὐχ αὑτῶν, ἀλλὰ τῆς πατρίδος εἶναι διετέλουν.

[3] Xen. *Resp. Laced.*, cap. I-V.

[4] Plut. *Lycurg.*, cap. XIV, sqq.

[5] Kopstadt, *De constitutionis Lycurgeæ origine et indole*, p. 128.

esse non vicesimum annum, quo adolescentes bellicis expeditionibus adesse incipiebant, sed tricesimum tandem, quo ad comitia primum admittebantur, eos finem educationi fecisse. Nam merito advertit ille Plutarchum et Xenophontem memoriæ prodere, juvenes haud raro postquam uxores duxissent, etiam tum nonnullos annos in æqualium suorum classe mansisse.

Quam ob causam illud instituerit legislator, dignoscere facile est : hoc enim imprimis consilium habuit ut cives magistratuum jussis patientissime obtemperare consuescerent. Interrogatus quidam quid *spartani* potissimum Lacedæmone discerent, respondit[1]: *Obedire et imperare.* Mihi videtur hoc verbum optime contrahere quid lycurgeæ constitutionis maxime peculiare fuerit; quantum autem illud bellicis rebus profecerit, vix dicere opus est, eo magis quod lege sancitum fuerat ut corporis vires nemo non maxima cum cura et diligentia excoleret.

Ea sunt quæ instituerat Lycurgus ; quæ, ut alii dicunt, denuo sanxit et ordinavit, ut *spartanos* ad rudem illum vivendi modum reduceret, quem tamdiu egerant quamdiu per infensas gentes transierant a septentrionali Græciæ parte ad hanc regionem quam nunc incolebant.

Ut autem severos illos mores servare possent Lacedæmonii, necesse erat eos non oculos in illecebras intendere, quas cæterarum urbium leges permittebant. Hæc causa fuit cur ξενηλασίαν Lycurgus Spartæ multo

[1] *Apophth. Lacon.*, p. 215. D.

severiorem fecerit quam nusquam alibi exerceri solebat. Non is sum tamen qui credam advenas a Lacedæmone omnino prohiberi, quum apud auctores videam multos eorum, qui quotannis confertim ad visendas *Gymnopædias* conveniebant, quam studiosissime in civium domibus accipi solere. Non igitur multum absum quin Göttlingii[1] sententiæ assentiar, qui, quum optimos scriptores pluralem formam ξενηλασίας vulgo adhibere videat, inde infert non Lycurgum peregrinos urbe uti omnino prohibuisse, sed præscripta tulisse, severissima illa quidem, quæ impedirent ne frequentiores ad *spartanos* concurrerent, funestumque eis intemperantiæ libidinisque exemplum præberent. Sedulo enim nobis cavendum est ne in hoc quorumdam criticorum vitium incidamus, qui Spartam a cæteris urbibus plane abalienam fuisse contendunt; recte animadverterunt excellentes historici eam, hoc demum a qualibet alia civitate differre, quod ibi cives maxime legibus obedientes essent, et ea quæ alibi propter diuturnitatem obsoleverant, *spartani* quasi nova recensque sancita nunquam non exsequerentur.

Permira res est quam diu, quæ veteris moris essent, eodem statu Lacedæmone manserint Etsi enim quorsum plura pertinerent majorum instituta ignorarent, ea mutare homines abstinebant qui, quidquid a Lycurgo jussum fuisse arbitrabantur, haud secus atque divinum aliquid reverebantur, magnoque sibi exitio futurum esse putabant, si paulum ab eis

[1] GŒTTLING, *Gesammelte Abhandlungen*, I, p. 323.

deflectere sustinerent; hæc animadvertat necesse est qui veram rerum laconicarum explicationem reddere cupit.

Verbi gratia, dicit Plutarchus[1] *spartanos* rapere solere quas ducebant virgines (ἐγάμουν δι' ἁρπαγῆς). Inde eos per vim stuprare solere quidam intulerunt, quum contra connubii leges tam ibi quam in qualibet alia græca urbe observarentur, et ille mos nil aliud sit quam sacrorum ritus, cujus significatio Lycurgum quidem præteribat, quem vero servatum apud alios populos reperimus[2].

Illud quoque Plutarchus pravc explicabat, scilicet juvenem virum furtim uxorem adire[3]; quod a Lycurgo sancitum fuisse aiebat ut non modo eos ad continentiam modestiamque exerceret, sed etiam ut corpora ad generandum aptiora redderet, quæ nunquam ita satietatc obruerentur. Hæc dicendo, Plutarchus ad rcmota illa tempora alienos omnino sensus retulit : non vidit enim quæ juvenum illorum conditio esset, qui haud secus ac hisce nostris temporibus milites, una in stativo præsidio vivebant, et tricesimum tantum annum agentes, in privato lare habitabant; inde fit ut eorum nonnullis liberi nati fuerint, priusquam interdiu suas uxores viderint[4], id est, ut apparet, priusquam conjux cum uxore domicilium habere potuisset.

Quid quod enarrat Plutarchus, jubente Lycurgo, in

1 Plut. *Lyc.*, XV, 4.
2 Fustel de Coulanges, *Étude sur la propriété à Sparte*, p. 26.
3 Plut. *Lyc.*, XV, 5.
4 Plut. *Lyc.*, XV, 6.

consuetudinem venisse, senem, si quem honestorum et virtute præditorum hominum probaret, eum ad suam uxorem introducere, quumque is eam generoso semine implevisset, prolem inde prognatam suam facere[1]? Compertum equidem habeo Lycurgum magni æstimavisse si robusti pueri gignerentur, quippe quod ad rem militarem multum conferret; sed potius pertinere illud de quo loquitur Plutarchus persuasum habeo, ad antiquissimam veterum religionem, qui nil tam formidabant quam familias exstingui et abrumpi sacrificia quibus Manes placantur. Itaque tam Athenis quam Spartæ, prioribus temporibus, mos erat virum, qui ad generandum par non esset, ad uxorem suam fratrem vel proximum sibi genere quempiam adsciscere, ut non intermitteretur posterum soboles[2]. Illud autem, quod vulgaris omnium populorum primum consuetudo erat, multo diutius Spartæ quam nusquam alibi permansisse non est quod miremur, utpote qui multum contulisse omnino Lycurgum viderimus ad veteres servandos mores; peccat vero Plutarchus quum illud ab eo institutum fuisse contendit.

Multa quoque alia referre valeam Lycurgo vulgo attributa, quibus plane alienus est; hæc omnia tacebo. Non possum tamen ea prætermittere, quæ de ferrea pecunia dicit Plutarchus[3] : *Lycurgus*, inquit, *omnem aureum argenteumque nummum abrogavit, soloque*

[1] Plut. *Lyc.*, XV, 9.

[2] Fustel de Coulanges, *La cité antique*, p. 53.

[3] Plut. *Lyc.*, IX, 2 : Πρῶτον μὲν γὰρ ἀκυρώσας πᾶν νόμισμα χρυσοῦν καὶ ἀργυροῦν, μόνῳ χρῆσθαι τῷ σιδηρῷ προσέταξε.

ferreo uti jussit. Hæc si quis ex verbo adoptaret, magnopere erraret. Quis nunc enim nescit lycurgeo tempore ferrum omnino rarum fuisse, pretiosumque metallum haberi[1]? Nonne apud Homerum videmus ferreum discum ab Achille, quum in Patroclis honorem ludi celebrarentur, præmium victoribus apponi[2]? Lacedæmonios autem, quum e Taygeto haberent unde ferrum exciderent, nil mirum, ad mutationes faciendas, illo usos esse.

Hæc monent quam temere spartani legislatoris vitam condiderit Plutarchus, et quam multa ei immerito attribuerit.

Quod enim ad vitam privatam attinet, non tam Lycurgus præscripta instituit quæ apud cæteros populos non reperias, quam severa disciplina curavit ne ad delicate et molliter vivendum delaberentur *spartani*. Ab eo illi, e pueritia ad obediendum informati, ab effeminatis peregrinorum exemplis arcebantur, gymnicis exercitationibus et durissimo victu ad bellum parabantur, et nil tam timebant quam contumelias quæ ignavum hominem, τὸν τρεσάντα dico, manebant.

Lycurgum Aristoteles[3] incusat, quod non mulieribus leges dederit, et hanc causam fuisse dicit cur in pejus ruerit Spartanorum vetus constitutio. Quantam illæ in republica potentiam exercuerint, dilucide quivis videat, modo Plutarchi *vitas Agidis et Cleo-*

1 Arist. *Polit.*, I, 3, 14. — Cf. Herod., II, 135.
2 Hom. *Ilias*, XXIII, 261.
3 Arist. *Polit.*, II, 6, 5.

menis perlustret; nec aliter se res habere poterat, quum ipse signet Aristoteles[1] maximam eas terrarum Laconiæ partem proprio nomine possidere, civium quidem magno detrimento, qui *spartanorum* jura amittebant, simul atque unde ad *syssitia* symbolam efferrent non habebant.

Hujus rei infirmam omnino explicationem affert Aristoteles, multoque verius conjecisse mihi videtur recens criticus, eruditissimus homo *Fustel de Coulanges*[2], qui contendit spartanas mulieres, quum viris quidquid ad lucrum pertineret interdiceretur, nullo ipsarum libertati modo statuto, mercaturam argentariamque exercuisse, unde majores sibi compararent divitias. Ex hoc inferre licet qua ratione terras fere omnesin manus suas cogere potuerint, quum verisimile sit *spartanos*, propter inopiam, ad comparandam pecuniam, primum fructus quos fundebat ager, deinde, lata ephori Epitadei lege, agros ipsos nummulariis mulieribus tradidisse[3].

Hoc equidem inter primas annumerandum esse causas persuasum habeo cur, etsi specie plura sæcula eadem manserit spartana respublica, revera non multo post Lycurgum omnino immutata fuerit. Quamobrem Aristoteli condonandum esse censeo, spartanum legislatorem, quod ad mulieres regendas attinet, non satis providum fuisse. Merito vero quis interroget num se

1 ARIST. *Polit.*, II, 6, 11.
2 FUSTEL DE COULANGES, *Étude sur la propriété à Sparte*, p. 31.
3 FUSTEL DE COULANGES, *Ibid.*, p. 83.

res aliter habere poterat : nonne enim necessario fiebat, sancitis legibus quæ a naturæ humanæ conditione abhorrebant, ut viam populus, qua illas effugere posset, omni ope quæreret ?

CAPUT DECIMUM

QUÆ ANTEA DICTA FUERUNT BREVITER CONTRAHENTUR, ET FINIENDO EXPLICABITUR QUANTUM AD INSTITUENDAM SERVANDAMQUE LYCURGEAM CONSTITUTIONEM DELPHICUM ORACULUM CONTULERIT.

Ecce propemodum suscepta absolvitur opera : postquam enim, refutatis criticorum quorumdam opinionibus, tum aliquem Lycurgum fuisse ostendimus, tum multa de eo narrari quæ potius ex uberiore cujusvis ingenio quam e certa traditione ducta fuerint, chronologicam rerum computationem quæ de prioribus historiæ græcæ temporibus habita est examinavimus, animadvertimusque recentiores criticos errores multos coarguisse in rebus quæ de ætate Olympiadibus antiquiore a veteribus auctoribus enarrabantur. Inde augurati sumus fieri posse ut quæ de lycurgeo tempore et de subacta a Doriensibus Peloponneso traduntur, paulum a veritate discedant. In memoriam igitur revocatis eis quæ Herodotus, Xenophon Thucydidesque de ea re attulerunt, compertum habuimus has opiniones, quæ

primum contrariæ esse videbantur, nullo inter se modo dissidere, dum concedas, tum Peloponnesum paulatim, non autem quasi virgulæ ictu subactam fuisse, tum Heraclidarum reditus fabulam, non duodecimo, sed multo potius decimo ante C. N. sæculo reponendam. Postquam autem rem ita se habere comprobavimus, concludere licuit non ita alium ab alio abhorrere Thucydidemque, qui Lycurgum nono finiente sæculo, et Herodotum Xenophontemque, qui eumdem Heraclidarum fere tempore leges ferentem ponunt, sed probabile factum fuisse ut constitutionem spartanus legislator tum dederit, quum, Doriensibus pristinisque regionis incolis paulo post irruptionem inter se dissidentibus, pacem nullus non exoptaret, et, quo facilius concordia restitueretur, sui juris partem æquo animo condonaret.

Hanc Lycurgi operam fuisse ostendimus, nec credo fore ut quisquam neget hac nostra opinione plura illustrari quæ in lacedæmonia republica obscura erant. Ita, examinatis *rhetris* illis, quarum unam ad lycurgeam constitutionem cognoscendam multum conferre diximus, non jam magni laboris fuit definire qui essent *spartani*, *periœci* et *ilotæ*, atque illud lucrati sumus ut enodaretur tanta illa quæ de agris iterum divisis difficultas oritur; manifestum enim apparuit Lycurgum quidem terras partitum fuisse, nullam autem antea partitionem habitam, quum Lycurgus ipse simul atque Dorienses in Peloponnesum advenisset. Quum autem, *spartani*, qui nil aliud atque portionem agri a Lycurgo distributam habebant, magis pauperes essent quam ut

familiæ suæ subvenire possent, inde evenit ut æqualitas, quæ primum instituta fuerat, brevi evanuerit, et a paucis optimatibus regeretur reipublicæ gubernaculum, quod antea penes multos cives erat; horum ergo numerum multo minorem factum esse vidimus, *ecclesiamque* aristocratico concilio similem, non jam ad senatoris honorem eos evehere solere qui maxime virtute pollebant, sed e ditissimis quibusque desumere.

Quod ad reges attinet, quorum jura Lycurgum jam resecuisse diximus, eorum eo magis imminuebatur auctoritas, quod primorum augebatur potestas : Theopompi ergo et Polydori regnum scrutando, introspicere conati sumus quomodo minora facta fuerint *ecclesiæ* jura, creatusque fuerit ephororum magistratus, qui mox regiam potestatem ad nihilum fere redegit et lycurgeam constitutionem, servato tantum nomine, omnino mutavit.

Examinatis autem tam civilibus quam politicis Spartæ institutis, ad ea præscripta venimus quæ ad vitam privatam pertinebant, et animadvertere datum fuit, multa vulgo ab auctoribus Lycurgo attribui, quibus alienissimus fuisset, quin imo plura in ejus opere deprehendi, quæ eum omnino non satis cautum fuisse arguant.

Jam nunc autem examinandum succurrit, unde evenerit ut illa constitutio, quam multas expertam fuisse mutationes vidimus, ab auctoribus tamen dicatur quadringentos annos una eademque perstitisse.

Ipsa rei explicatio rationem simul reddet cur tantam auctoritatem Lycurgus habuerit, ut populum e diver-

sissimis elementis compositum coagmentaret, eumque turbantem, mixtis confusisque omnibus rebus, ad obedientiam reduceret. Haud parvi sane operis erat leges acceptas facere, quæ divitem simul ac pauperem ad severam illam quam novimus disciplinam adstringerent. Quod quum considerarent veterum multi, Lycurgum haud secus ac deum habebant; nos autem, qui propiora veri sequi confidimus, persuasum habemus necessario evenisse ut, ad perficiendum opus, divinum quoddam auxilium adhibuerit, delphicique oraculi apud Spartanos quasi interpres fuerit. Nonne enim vidimus *rhetras*, aut ab oraculo expromptas fuisse, aut saltem ab eo comprobatas, ejusque sacrato auxilio in publicum propositas fuisse? Rem omnino manifestam faciunt ipsa verba, quibus Lycurgum in penetrale ingressum salutaverit Pythia :

Ad mea venisti præpinguia templa, Lycurge,
Grate Jovi et cunctis qui tecta tuentur Olympi.
Ambigo tene deum jam nunc, hominemve salutem,
Sed multo magis esse deum te credo, Lycurge[1] *!*

Ex his videre licet nil aliud Lycurgum fuisse atque sacrum quem diximus Apollinis interpretem. Hæc quanto magis quam Gelzeri[2] sententia arrideant, vix dicere opus est : ille enim, nullo allato argumento,

[1] HEROD. I, 65 :
Ἥκεις, ὦ Λυκόοργε, ἐμὸν ποτὶ πίονα νηόν
Ζηνὶ φίλος καὶ πᾶσιν Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσιν.
Δίζω ἤ σε θεὸν μαντεύσομαι ἤ ἄνθρωπον.
Ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον θεὸν ἔλπομαι, ὦ Λυκόοργε.

[2] H. GELZER, *Lykurg und die delphische Priesterschaft*, in *Rheinisches Museum*. N. F. XXVIII, 1873.

Spartæ collegium fuisse dicit sacerdotum Apollini inservientium, qui, delphici oraculi quasi personam gerentes, lacedæmoniam rempublicam plura administravissent sæcula; quorum primus Λυκόεργος vocari soleret, quod Apollinis cognomen esset.

Plus justo conjectanea adhibuisse doctum sed audacioris ingenii criticum jam diximus; ex hac tamen ejus opinione aliquid verissimum colligere licet, id est delphicum Apollinem ad condendam conservandamque Spartanorum rempublicam maximi momenti fuisse.

Unde autem intima illa communicatio instituta fuerit si quis disquirere cupiat, necesse est statum, tum delphici oraculi, tum Doriensium attendat, tempore quo nondum illi Peloponneso potiti erant; tantæ enim lycurgeæ vel apollineæ auctoritatis causam e longiore quam vulgo creditur repetendam esse persuasum habeo, nec a Mülleri[1] sententia abhorreo, qui Apollinem quasi Doriensium patronum fuisse contendit.

Eos, antequam in Peloponneso considerent, multum vagatos fuisse, nemo quidem ignorat; apud Herodotum autem pretiosissimus locus inest, ubi eorum variæ per Græciam peregrinationes notantur : *Ionenses*, inquit[2], *et Dorienses ab omni tempore omnium*

[1] O. Mueller, *Die Dorier*, passim.

[2] Herod. I, 56 : ... Ταῦτα γὰρ ἦν τὰ προκεκριμένα, ἐόντα τὸ ἀρχαῖον τὸ μὲν Πελασγικὸν, τὸ δὲ Ἑλληνικὸν ἔθνος. Καὶ τὸ μὲν οὐδαμῇ κω ἐξεχώρησε, τὸ δὲ πολυπλάνητον κάρτα. Ἐπὶ μὲν γὰρ Δευκαλίωνος βασιλέος οἴκεε γῆν τὴν Φθιῆτιν, ἐπὶ δὲ Δώρου τοῦ Ἕλληνος τὴν ὑπὸ τὴν Ὄσσαν τε καὶ τὸν Οὔλυμπον χώρην, καλευμένην δὲ Ἱστιαιῆτιν· Ἐκ δὲ τῆς Ἱστιαιήτιδος ὡς ἐξανέστη ὑπο Καδμείων, οἴκεε ἐν Πίνδῳ Μακεδνὸν καλεύμενον. Ενθεῦτεν δὲ αὖτις ἐς τὴν Δρυοπίδα μετέβη, καὶ ἐκ τῆς Δρυοπίδος οὕτω ἐς Πελοπόννησον ἐλθὸν Δωρικὸν ἐκλήθη.

Græciæ populorum præcipui habebantur, quum antiquitus sint alter pelasgiscus, alter hellanicus : et alter quidem nunquam solo suo excesserat, alter vero valde multumque erat vagatus : nam sub Deucalione rege, Phthiotin terram habitaverat, sub Doro vero, Hellenis filio, regionem Ossæ et Olympo subjectam occupavit, quæ Histiæotis vocatur; tum, ex Histiæotide ejectus a Cadmeis, Pindum incoluit et Macednus populus est nominatus, inde rursus in Dryopidem transiit : ex Dryopide denique sic in Peloponnesum venit et Doriensis est appellatus.

Non quidem hoc loco decet, Mülleri vestigia insecutum, referre varia quæ de Doriensium quaque statione hinc illinc apud auctores colligere quis possit; melius est disquirere quo tempore initium ceperit eorum erga Apollinem reverentia. Illud tum evenisse persuasum habeo, quum in Maliaci sinus littore habitantes, consuetudinem junxerunt cum populis illis lyciis, cretensibus, ioniisve qui, lautiore cultu, Ægeum mare, ut commercium exercerent, hinc illinc perlustrabant, et, quocumque adpellebant, deorum quos ipsi adorabant, cultum diffundendum curabant; ita Doriensibus prima apollineæ religionis semina allata fuisse conjicere licet.

Illa autem semina omnium maxime populorum aluerunt, quum, e Phthiotide pulsi, in Macedonia constiterunt, ubi celebre illud Pythii templum exstructum fuit. Bellicosum enim illud genus eo majore Apollinem reverentia coluit, quod futurum fuerat ut in remotis Pindi Olympique montibus omnes religiosi animi affectus, quos in tot numina Iones dispergebant,

in unum Apollinem ipsi dirigerent: inde factum fuisse mihi videtur ut Doriensium peculiaris patronus Phœbus haberetur, etsi ex Oriente devenerit, ejusque altaria in multis aliis Græciæ locis inveniantur.

Dorienses vero non diu in Macedonia et Histiæotide manserunt, sed ingens mox eos cupido invasit rursus fertiles agros visendi quos olim inhabitaverant; in uberem igitur illam Penei vallem, laurorum silvulis obumbratam, devenerunt, ubi major eorum erga Apollinem, cui tantorum beneficiorum gratiam debebant, reverentia facta est. Ibi Pythii religionem incrementa cepisse clarius demonstravit Müllerus[1] quam ut in re immorer; inde mox in austrinas regiones descenderunt, in hanc vallem a Dryopibus habitatam, quorum alii a Doriensibus in servitutem redacti fuerunt, alii autem naves conscendentes, per Euripi fretum, ad navigandum percommodum, effugerunt, et in Eubœa urbes Styram Carystumque, in Argolide Hermionem, Asinam Eionemque condiderunt; eos Dorienses insecutos esse et ipsos quoque Ægeum mare tranare voluisse docet Andron[2] Halicarnassensis : « *Crete*, inquit, *in insula illa regnante*, *Tectaphus*, *Dori filius*, *Hellenisque nepos*, *ex Thessaliæ ea parte quæ*, *tunc Doris vocabatur*, *nunc Histiæotis est profectus*, *in Cretam insulam venit cum Doriensibus et Achæis et Pelasgis iis*, *qui*

1 O Mueller, *Die Dorier*, I, p. 46.

2 Andron, *Historiæ*. fr. 3, ap. C. Muellerum. *Fragm. hist græc.*, t. II, p. 349 : Κρητὸς ἐν τῇ νήσῳ βασιλεύοντος, Τέκταφον τὸν Δώρου τοῦ Ἕλληνος, ὁρμήσαντα ἐκ τῆς ἐν Θετταλίᾳ τότε μὲν Δωρίδος, νῦν δὲ Ἱστιαιώτιδος καλουμένης, ἀφικέσθαι εἰς Κρήτην μετὰ Δωριέων τε καὶ Ἀχαίων καὶ Πελασγῶν, τῶν οὐκ ἀπαράντων εἰς Τυρρηνίαν.

non in Thyrrheniam abierant. Hoc multum conferre mihi videtur, ad explicandum quantas illecebras in Dorienses delphicum oraculum exercuerit; nemo enim ignorat Κίῤῥαν, quæ urbs quasi Delphorum portus erat, Cretensium coloniam fuisse, cujus nominis similitudo cum Κρῖσα vel Κρῆσσα jam animadversa est[1]. Nonne fieri potuit ut cum cretensibus colonis, Delphos nonnulli ex eadem insula Dorienses advenerint, quorum quidam Apollinis sacerdotes essent ? Fac ergo ita se rem habuisse, vix dicere opus est quanto gaudio quantaque benevolentia illi fratres, ad meridionales Græciæ regiones descendentes, acceperint !

Adde quod eos qui delphico oraculo præerant non fugiebat quantam utilitatem percipere possent, si mentes hominum detinerent, qui, rudes quidem, sed acerrimi, in eo erant ut tota Græcia potirentur.

Hoc enim jam omnium primum lucratum erat delphicum oraculum, ut a Doriensibus in regionem advenientibus, Dryopes Phœbo servi dicarentur, sperabatque fore ut majora ab eis commoda perciperet; Dorienses autem, quum animadvertissent delphicum Apollinem non ita a Pythio differre, quem ad hunc diem tanto studio coluerant, patronum eum adsciverunt, rursusque precati sunt ut gratiam largiretur bene in inceptis succedendi.

Dorienses ad deos pio cultu honorandos natura propensos fuisse nemo ignorat. Hoc enim inter peculiares hujus generis dotes annumerari solet : unde

[1] Bouché-Leclercq, *Histoire de la divination dans l'antiquité*, t. III, p. 58.

autem factum sit ut maxime omnium Spartani delphicum Apollinem summa religione coluerint, ex hoc consequi arbitror, quod illi, antequam Lacedæmonem pervenerint, diutius cum Delphorum sacerdotibus consuetudinem habuerint; illi enim, dum fratres nonnulli in Peloponnesum, maritimo cursu, e Maliaco sinu profecti pervenerant, multos annos in Doride, quæ uno Parnasso a Delphis sejungitur, remanserant, atque ita familiariter cum deo communicare potuerant.

Hæc secum reputando, facile quis intelliget factum esse ut summo Lycurgus favore acciperetur, quum Lacedæmone, ubi cuncta turbabantur, pacem allaturus, ut nuntius ab Apolline missus sese obtulit.

Utrum e regia familia, an privatus fuerit, quid ad rem? Nam omnino incerta esse quæ de his rebus traduntur jam antea vidimus, nec ulli alii rei causa auctoritatis, qua præditus erat, assignanda est, quam ejus sacratæ dignitati.

Religione igitur credulos Spartanos adstrinxit, illudque assecutus est, ut non modo Lacedæmonios suis jussis obedientes extemplo fecerit, sed adeo constitutioni fideles reddidit, ut nemo unquam sanctas a Phœbo leges abolere ausus fuerit; inde fit ut vulgo crederetur Spartanos eisdem institutis plus quadringentos annos usos esse. Tanta enim Apollini ab eis reverentia præstabatur, eumque tanto honore colebant, ut si quis quid novum in republica introducere vellet, lycurgeum nomen prius prætendendum curaret.

Quo ergo magis rem introspicimus, eo manifestius

apparet spartanum legislatorem nullo modo mythicam personam fuisse, sed sacratum quemdam hominem, a delphico Apolline impulsum, qui Doriensium erga deum reverentiam ita adhibuerat, ut leges suas non modo acceptas faceret, sed quam maxime diuturnas redderet.

Non ignoro equidem opinioni nostræ paulum adversari videri, quod auctores aliqui contendant Lycurgum cum Iphito multum ad instituendas Olympicas inducias contulisse. Quod enim si verum esset, merito quis interroget quomodo fieri possit ut Phœbi interpres Olympicum cultum, rivalem Delphorum, ita adauxerit? At concidit nunc hæc objectio, quum nuperrime ostenderit G. Busoltus, Lacedæmonios omnium ultimos fuisse[1] qui societatem cum Elide conjungerent, illamque de Lycurgo Iphitoque fabulam a Spartanis excogitatam fuisse, quum, societate omnium Peloponnesi urbium constituta, nulli gloriam cedere vellent ludos Olympiacos, qui tunc tanti momenti erant, reficiendos curavisse.

Nec magis rei obstare videtur quod *Jovi Hellanio* et *Athenæ Hellaniæ* templum Lycurgus ipse condiderit: quod enim ad Minervam attinet, jam animadvertit Gilbertus[2] sæpissime Jovis cultui Minervæ cultum conjungi, nec non plura apud Pausaniam citata invenimus documenta ut Ζεὺς Ἀγοραῖος et Ἀθήνη Ἀγοραία[3], Ζεὺς Ἀμβούλιος et Ἀθήνη Ἀμβουλία[4], Ζεὺς ξένιος et Ἀθήνη ξενία[5].

[1] G. Busolt, *Forschungen zur griechischen Geschichte.* Erster Theil. Breslau, 1880, p. 9.

[2] Gilbert, *Studien zur altspartanischen Geschichte*, p. 141.

[3] Pausanias, III, 11, 9.

[4] Idem, III, 13, 6.

[5] Idem, III, 11, 11.

Quod autem patrocinandus συνοἰκισμος potius Jovi quam Apollini commissus fuerit, ut e prioribus *rhetræ* verbis videmus, illud ita effectum esse mihi videtur, quod advenientes Dorienses illum honorem deo, qui terram hanc præoccupaverat, tribuere volebant; nemo nescit enim Achæos *Patrem deorum* patronum coluisse; nec minorem quidem ipsos erga Jovem reverentiam habuisse Gilbertus[1] docet. Non mirum est igitur Lycurgum, quum Dorienses regione potius fœdus ineundo, quam bellando potiti essent, antiquum Jovis Athenæque cultum servavisse, et alios cum delphico oraculo nexus conjunxisse.

Rem illud comprobare videtur quod adeo parum Apollini Jupiter infensus erat, ut nil ille tam exoptaret quam Jovis filius vocari. Quid enim aliud significant verba Διὸς προφήτης[2], θεράπων Διός[3], φάτις Διός[4], aliave quæ ad Apollinem designandum a poetis adhibita fuisse comperimus[5]? Hæc plane ostendunt parum valere objectionem, quæ de prioribus Lycurgeæ *rhetræ* verbis, ad sacratam spartani legislatoris dignitatem infitiandam, ducitur.

Ex his igitur omnibus inferre licet quantum ad lacedæmoniam legislationem condendam servandamque delphicum oraculum contulerit. Lycurgum quidem ejus interpretem fuisse ostendimus; illud tamen eorum

[1] Gilbert, *Studien zur altspartanischen Geschichte*, p. 63.
[2] Esch. *Eum.*, 19.
[3] Aristoph. *Aves*, 516
[4] Soph. *Œd. rex*, 151.
[5] Bouché-Leclercq, *Histoire de la divination dans l'antiquité*, t. III, p. 5.

vitium effugimus, qui, eum mythicam tantum personam esse contendendo, rem potius ex uberiore ingenio, quam ex attenta ejus operæ observatione eruisse videntur.

FINIS

TABULA

CAPUT SEXTUM

CAPUT SEPTIMUM

CAPUT OCTAVUM

CAPUT NONUM

CAPUT DECIMUM

VIDI AC PERLEGI:

Lutetiæ parisiorum, in Sorbona,

a. d. V Nonas Jul. ann. MDCCCLXXXV

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR:

ACADEMIÆ PARISIENSIS RECTOR,

GRÉARD.

LUGDUN. — EX TYPIS PITRAT, VIA GENTIL, 4





